

ADVENTORIA ²⁰

CAVSIDICO

DIVIONENSI

Aduerfus Amici ad Amicum. Epistolam,
De suburbicariis regionibus & Ecclesiis.

Cum CENSURA VINDICIARVM
Coniecturæ alterius Anonymi.

Auctore IACOBO SIRMONDO *Societatis*
IESV *Presbytero.*



PARISIIS.

Ex Officina Niuelliana.

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY,
via Iacobæa, sub Ciconiis.

M. DC. XX.

Cum Priuilegio Regis.



LECTORI.

M I N I dubium non erat, cum Censuram nostram ederem in lucem, quin ut malorum graminum semper vberior est seges, pro vno libello contrarij plures statim emergerent. Nec fefellit expectatio. Prodiere mox bini vno iugo, Amici ad Amicum Epistola, & Vindiciæ Coniectoris. Quorum vtrique etsi hoc commune est, quòd pugnant ipsi secum, atque inter se mutuò, & recti nihil dicunt: ut quod de numeris Platonice Aristoteles scribit, de his meritò pronuntiare

ã ij

LECTORI.

liceat: *Τῶντα δὴ πρῶτα ἀλογα, καὶ μάλιστα αὐτὰ ἑαυτοῖς, ἔτι τοῖς ὑλόγοις.* tamen si vitiosæ scriptio- nis palma cuiquam tribuenda est, hanc sine controuersia auferet Epistolæ auctor: homo, si verba spectes, hiberna pica loquacior; si sententias, Simonidis seruorum similis, qui ἐν αὐτῷ φώρῳ deprehensi, cū ad sui defensionem multa funderēt, ὅσα δὲν ὑγιές, ἢ πιθανόν, nihil consentaneum, aut verisimile causabantur. Ita enim Amicus iste, infelicis causæ patronus, tota sua dissertatione nihil minùs agit, quàm quod agit: quæ tueri vult, impugnat, quibus contradicit adstipulatur, aliorum dicta non intelligit, in suis allucinatur, in vtrisque vel inertiam suam pro- dit, vel αὐθαδέειαν. vt de tam verbosa atque inani eius oratione verius dici nihil queat, quàm Σιμωνίδου μα-

LECTORI.

ἀποὺς ἀόχου. Et tamen hic ille est triū-
 phator, si ipsum de se loquentem
 audias, qui semper veris vincere Pag. 79 21.
 consuevit, qui dissutis malis pro- 27 30.
 stratos hostes ridet, & cū in calue-
 rit, suo illos gladio iugulat, ac ve-
 lut piper miseros pistillo contun-
 dit. Huic ego Pyrgopolinici ne su-
 bitò responderem, datum est pre-
 cibus fautorū eius, id opinor à me
 contendentium, vt plenis illi tan-
 tis per & liberis gloriolæ suæ pen-
 nis pasci liceret. Ne diutius nunc
 differam, facit amicorum conte-
 statio, qui silentium hoc nostrum
 non indulgentiam, sed ἀμνηστίας
 illos interpretari monent. Statui
 ergo huic etiam nunc tandem, cū
 aduentare ad nos dicitur, aliquid
 reponere, & aduentoriam offerre.
 Sed confusæ atque hiantis Episto-
 læ, in qua quid cum alio cohæreat,

à iij

LECTORI.

quorſumve dicatur, non facile apparet, priùs certa quædam diſtinguenda fuerunt capita, ex quibus quid ille doceat, quid nobis dedocendum ſit, intelligatur. In quo quidem, quòd ſingula, quæ contra nos vim aliquam habere videbãtur, fide bona expreſſi, candorem noſtrum agnoſcet: quòd alia, quæ redargui ſimiliter poterant, multa prætermiſi, pudori ſuo conſultum putabit, ne ſi omnia perſequerer, in omnibus erubeſceret.

ECLOGE PRÆCIPVORVM
CAPITVM EPISTOLÆ
Causidici, quæ singula deinde
in Aduentoria discutuntur.

P A R S I.

De regionibus suburbicariis.

CAPVT I.

Omne illud spatium extra urbem Romanam centesimo milliario circumscriptum, quod totam Præfecti urbis iurisdictionem ambitu suo claudebat, Romana regio dicitur in antiqua Inscriptione. Quod coloniis territorium, hoc Urbis Romanæ Regio vrbicaria vel Romana: intra cuius scilicet fines Præfecto Urbis iurisdictionem exercere licebat.

CAP. II.

Italiæ regiones aliæ fuerunt vrbicariæ, quæ scilicet intra Centesimum continebantur; aliæ annonariæ, quæ extra Centesimum erant. Annonariæ proprium Italiæ nomen sibi fecerunt. Quare Italia

â iiij

& annonaria regio idem est apud Trebellium in Tetrico, vbi nullam vrbicariam in Italiae regionum enumeratione commemorat. Annonariae ab annonariis functionibus dictae.

CAP. III.

Pag. 15. 16. Suburbicarias dici non posse omnes
Pag. 12. 13. 14. prouincias quae Vicario Urbis in Notitia
tribuuntur, cum in his solum Picenum
suburbicarium appelleretur. Sicilia rursus,
quae sub Vicario urbis erat, à suburbicariis
regionibus distinguitur L. IX. Cod.
Theod. *de extraordinariis muneribus*. Quare
ab illis diuersa est.

CAP. IV.

Pag. 12. v. f. que ad 19. Italiam proprie dictam non eas solum
prouincias amplecti quae Vicario Italiae
parebant, sed omnes prorsus quae erant
extra Centesimum. Synodus enim Sar-
dicensis Campaniam, Apuliam, & Ca-
labriam ab Italia non distinguit: nec se-
iungi ab ea possunt, cum angustiores sint,
quam vt separatae prouincias constituat,
& cum prouinciae Romanae non attri-
buantur, necesse est vt Italiae nomine
comprehendantur.

CAP. V.

Suburbicariæ prouinciæ omnes sunt ^{P. 40. 47.}
intra Centesimum, nec vlla intra Cente- ^{&c.}
simum quæ suburbicaria non sit. Subur-
bicariæ autem numero sunt quatuor, Pi-
cenum suburbicarium, Tuscia suburbi-
caria, Latina regio, & Valeria. Hæ qua-
tuor prouinciæ Urbanæ præfecturæ dice-
cesim constituebant.

P A R S II.

De Ecclesiis suburbicariis.

CAP. I.

Ecclesiæ suburbicariæ apud Rufinum
accipi aliæ non possunt, quàm quæ su-
burbicariis prouinciis continentur. Va-
gam alioqui & incertam fore illarum si-
gnificationem, cum à Synodo Nicæna
certi fines vt Alexandrinæ, sic etiam Ro-
manæ diœcesis constituti sint. In Ægypti
voce nulla est ambiguitas. quare nulla ef-
se debet in suburbicariis.

CAP. II.

In Synodo Calchedonensi non qua-
tuor, sed tres tantùm Episcoporum gra-

us designati , quia Exarchus idem est quod Patriarcha : & Zonaras auctor est Exarchos in eo Canone à quibusdam exponi Patriarchas, ab aliis Metropolitans.

C A P. III.

Pag. 60. & 61. Patriarchæ totidem sunt quot Exarchi, quia iidē sunt. Hinc Patriarchis dioceses tribuuntur, sicut Exarchis. Malè igitur ab Exarchis distinguuntur.

C A P. IV.

Pag. 65. Sedes & θρόνοι non magis conueniunt Patriarchis, quàm Metropolitanis. Romanus Episcopus Italiæ primas dici non potest. Primates in Africa soli Metropolitanis. In Gallia dicti etiam Patriarchæ. Itaque à Patriarchis diuersi non sunt.

C A P. V.

Patriarcha Occidentis Papa dici non potest, nec Occidens specialis eius diocesis. Suburbicariæ Ecclesiæ apud Rufinum exponi Occidentales non possunt, non magis quàm si Romanas dixisset. Græculi sunt qui Papam faciunt Patriarcham Occidentis, & nihil illi in Oriente concedunt. Quare testes produci non debent.

PERIOCHE SINGVLO-
RVM CAPITVM ADVEN-
torix, quæ singulis Epistolæ ca-
pitibus ordine respondent.

P A R S I.

De regionibus suburbicariis.

C A P I.

REGIO Romana pro tractu, qui ex-
tra Urbem Romam centesimo la-
pide circumscribitur, nusquam usur-
pata. Nolana Inscriptionis vera interpreta-
tio. Territorium Urbis Romæ ad centesimum
usque lapidem non porrigebatur, sed agri Ro-
mani finibus, hoc est paucis ab Urbe millibus
claudebatur. quo etiam spatium terminabatur
Præfecti urbis propria iurisdictio.

C A P II.

*Italia in urbicarias & annonarias regio-
nes diuisio reiecta. Trebellij locus à Causidico
perperam expositus. Enumerari à Trebellio
regiones omnes Italiae, etiam quæ intra Cen-*

tesimum. Nec Italiam propriè dictam omnia amplecti, quæ sunt extra Centesimum, nec suburbicarias eas tantum, quæ intra Centesimum. Annonariarum etymum refellitur.

CAP. III.

Suburbicarias rectè dici prouincias quæ ab urbis Vicario regebantur. Cur solum Picenum in Notitia suburbicarij cognomen gerat. Causidicus suo ipsius argumento reuincitur. Sicilia item cur interdum seorsim ab urbicariis nominetur, veram in Censura causam esse allatam. Sicilia eadem alibi urbicariarum nomine comprehensa. Quare ab illis minimè diuersa.

CAP. IV.

Specialis Italia non amplius quàm septem prouincias complexa, quæ à Vicario Italie administrabatur. Ideo ab Italia Campaniam, Apuliam, Calabriam secludunt cum Athanasio Synodi Sardicensis & Arelatensis. Diluuntur ridicule Causidici obiectiones, idemque ἀπλογὰς conuincitur.

CAP. V.

Suburbicariae omnes non sunt intra Centesimum. Secum pugnat Causidicus, qui Umbriam suburbicariam esse negat, quæ tamen est intra Centesimum. Latina regio inter pro-

vincias nunquam habita, Valeria vltimis tantum temporibus. Prouincia omnes Vrbi vicina non ad Praefecti, sed ad Vicary Vrbs administrationem pertinebant.

P A R S II.

De Ecclesiis suburbicariis.

C A P. I.

*S*UBURBICARII notio pro rerum ad quas refertur varietate laxior vel angustior. Quare falsum, Ecclesias suburbicarias latius patere non posse quam prouincias. Suburbicariae Ecclesiae quoniam essent Rufini aetate notum erat. Synodus Nicana Episcopi Alexandrini diocesim definiuit, non Romani. Aegypti vox non minus anceps, quam suburbicary.

C A P. II.

Synodus Calchedonensis quatuor Episcoporum gradus manifeste distinguit. Exarchos appellat non Metropolitae, aut Patriarchas, sed eos qui gradu inter utrosque interiecto dioceses integras regebant. Exarchorum nominis varia usurpatio. Exarchi praeter legitimos quidam adscititij & honorary.

CAP. III.

Patriarcha proprie dicti non plures quam quinque. Patriarcharum nomen aliquando commune fuit etiam Exarchis: postea primariis tantum sedibus tributum. semper tamen inter hos gradus fuit discrimen. Quare merito distinguuntur. Exarchorum in Oriente iura ad Constantinopolitanam sedem fere translata.

CAP. IV.

Sedes & ἑπόροι proprie dicti quinque patriarcharum. Primatis nomen ex aduersarij placitis Pontifici Max. non negandum. Discrimen ciuilium & Ecclesiasticarum administrationum. Africa olim unica prouincia, post multa, quarum primas Episcopus Carthaginiensis. Primates in Occidente appellati etiam interdum Patriarcha. omnes tamen diuersi ordinis, & longo semper interuallo post Romanum.

CAP. V.

Patriarcha in Occidente x̄p̄t̄ ἰ̄ξ̄ο̄χ̄λ̄ὸ̄s̄ solus Pontifex. Specialis eius diæcesis Occidens, pars uniuersalis. Suburbicaria, & Romana, & Occidentis Ecclesie, cum de Patriarchatu Romano agitur, eadem sunt. Græci ante schisma supremam in uniuersa Ecclesia Pontificis Romani potestatem agnouerunt.





ADVENTORIAE

PARS PRIOR

DE REGIONIBVS

suburbicariis.

CAPVT I.

Regio Romana pro tractu qui extra urbem Romam centesimo lapide circumscribitur nusquam usurpata. Nolana inscriptionis vera interpretatio. Territorium urbis Roma ad centesimum lapidem non porrigebatur, sed agri Romani finibus, hoc est paucis ad Urbe millibus claudebatur. quo etiam spatium terminabatur Praefecti urbis propria iurisdictio.

VRBICARIAM Praefecti urbis diocesim, quæ ad centesimum usque lapidẽ excurrat, & quatuor prouincias com.

A

plectatur, friuolum atque inane Coniectoris commentum fuisse, fatis opinor in Censura nostra probatum est, cum ostendimus Prefectum vrbi non prouincialem, sed urbanum esse magistratum, cuius proinde administrationi Vrbs, vrbsque termini, non diocesese competant, aut prouinciæ. Nondum tamen, ut sentio, persuadere tibi veritas potuit, qui hoc primû loquacissimæ Epistolæ tuæ caput facis, ut diocesim hanc adstruas, doceasque, quod nulli adhuc in mentem venerat, illam ipsam esse, quæ in antiqua Inscriptione regio Romana nuncupetur. Ita quam Coniector longis ambagibus diu frustra quæsierat, in ipso statim disputationis ingressu feliciter inuenisti. Quid restat nisi, ut cum plausorum tuorum grege triumphum

ducas, & quod in Iſiacis cani ſolebat *ἐπιλαμβάνω* exclames? At ego te ſi Romanam hanc regionem nihil ad tuam iſtam diœceſim facere docuero, tum ſi ad eiufce diœceſis regionisque fines, hoc eſt ad centeſimum lapidem, vrbiſ Romæ territorium non pertinuiſſe, vt ſcribis, ſed vtrumque abſurdum falſumque eſſe demonſtraro, nunquid cauſæ erit, quo minus te in limine ipſo impegiffi, ac temerè bis lapſum eſſe conſiteare? Age ergo, Inſcriptionem recita quam laudas.

POLLIO IVLIO CLEMENTIA- Pag. 6.

NO SVBVENTORI CIVIVM VNI-
 VERSA REGIO ROMANA STA-
 TVAM COLLOCAVIT. Hîc tu
 regionem Romanam interpretariſ
 tractum illum, qui extra urbem in-
 tra vrbiſ Romæ fines erat. Quid
 abſurdius? Recognofce vbi & cui

A ij

4 DE REGIONIBVS
posita sit statua, & errorem intelli-
ges. Nolæ enim, & Nolano ciui
positam non ignoras, à nobis di-
dicisti. Vnde enim hanc Inscrip-
tionem mutuatus es, nisi à Grute-
ro? Gruterus autem vbi exstare illâ
testatur, nisi Nolæ? à quo descri-
ptam, nisi à Sirmondo? Sirmondus
ergo est, qui vidit, qui legit, qui ex-
scripsit. Cui nunc fucum te facere
posse confidis? Nam si Nolæ No-
lano ciui posita est statua, quonam
beneficio Romanos, Etruscos,
Vmbros, Samnites, Campanos,
quotquot centesimo perstringun-
tur, à Nolano ciue affectos censes,
vt statuam ab vniuersis mereretur?
Nugæ sunt, quas fingis. Regio Ro-
mana in lapide illo non Romani-
agri, sed Nolanæ vrbis est regio.
Nam vt Roma in quatuordecim,
sic Nola in sex olim regiones di-

Inscript.
antiq.
P. IIII.

SUBURBICARIIS. 5
uisa est. Harum unam Romanam
dictam fuisse Inscriptio tua docet;
alteram (si tamen altera, & non
eadem est) Iouiam appellatam dis-
cimus ex altera statuæ basi, quæ
Nolæ itidem priori coniuncta le-
gitur his verbis.

CLEMENTIANO
POLLIO IULIO
CLEMENTIANO V. P
PATRONO INIMITABILI
LARGISSIMO CUIVS FACTA
ENARRARI NON POSSUNT
EIVS MEMORIAE REGIO IOVIA
STATVAM CENSUIT.

Nolæ unam atque eandem re-
gionem tum Romanam, tum Io-
uiam appellari potuisse, nec tu, ni
fallor, repugnabis, si, quod anti-
quæ pariter Inscriptiones docent,
memineris Cularone, hoc est Gra-

Grut.
P. 167.

A iij

portam Romanam Iouiam, & portam Viennensem Herculeam, à Diocletiano & Maximiano Impp. vocari iussas : vt quod portis hîc contigit, vt nomen mutarent, idē Nolæ regionibus euenisse nihil vetet. Cæterum vt Gratianopoli Romanam olim portam fuisse qui audit, ridiculus esset, si de Romanæ vrbis porta suspicaretur: sic tu cum in Nolanis monumentis regionē Romanam leges, caue aliud deinceps, quàm Nolanæ vrbis partem intelligas; & tuam ipsius fortem dissutis, si libet, malis nunc ride, qui vetustam Inscriptionem ad hoc tantum produxisse videris, vt prauacius interpretatione ἀποσεξία, oscitantiamque tuā, tanquā in cippo & columna proscriberes.

Pag. 5. 6. 7. Iam verò quòd de vrbis Romæ territorio ita differis, vt eius spa-

tium ad centesimum vsque lapidem exporrigas, in hoc etiam non leuiter castigandus es: tãmetſi veniam fortaffe aliquam ideo merearis, quia huius erroris ducem non vnum habes Coniectorem; ſed multos præterea ingenio & doctrina præſtantes viros: qui cùm Præfecto vrbi tributam intra centesimum notionem aliquam viderent, eò inducti ſunt, vt Urbis terminos ad cẽtesimum lapidem pertinuiſſe exiſtimarent. Sed ignoſcēt Iuriſconſultorum manes, vt qui noſtris plerumque non abſtinent, ſua per noſ tractari tantisper ferāt. Malè omnino ratiocinari eos neceſſe eſt, qui ex magiſtratus oppidi cuiusque poteſtate de territoriꝝ ambitu coniiciunt: cùm ex territoriꝝ potius finibus, quoad ſe magiſtratus poteſtas & iura porrigāt,

colligi debeat. Quid enim? Si ex Præfectura vr̄bis Romani territorij petenda sunt spatia, nullumne ante Augustum, qui Præfectos instituit, Romanæ vr̄bis territorium dices fuisse? aut si propterea quòd de criminibus, quæ intra centesimum admissa essent, Præfectus vr̄bi iudicabat, ideo Vr̄bis terminos ad centesimum produci placet, cur non itidem, quia de controuersis Senatorum, quæ per prouincias inferebantur, Præfectus idem Valentiniani lege 111. Cod. Theod. *De iurisdictione* cognoscebat, eosdem Vr̄bis & prouinciarum omnium terminos fuisse decernamus? At hæc absurda sunt & insulsa. Alio igitur ex capite Romani territorij fines constituendi: ex agri nimirum Romani finibus ac terminis. Quid enim aliud est

territorium Pomponio L. CCXXXIX.
De verborum significatione, quàm vni-
 uersitas agrorum intra fines cuius-
 que ciuitatis? Romani autem agri
 fines haud illi certè longinqui, nec
 latissimè patentes fuerunt. quippe
 qui vicinorum vndiquaque Latij
 vel Etruriæ oppidorum agris val-
 labantur, Ostiensi, Ardeate, Lanu-
 uino, Albano, Tusculano, Gabi-
 no, Veiente, Cærite, & si qui præ-
 terea interiecti. Horum enim op-
 pidorū, quæ dixi, nullum est quod
 viginti passuum millibus Roma
 distet, sunt quæ decimū, aut duo-
 decimum non excedant. Quo ex
 spatio si tantum agri detrahas,
 quantum singula cuiusque oppidi
 territoria occupabant, modicos
 omnino agri Romani fines fuisse
 comperies. Hoc igitur Romæ ter-
 ritorium fuit, quo legitima Præ-

fecti vrbi potestas terminabatur. Hi Urbis termini Vlpiano, quos Præfectus cùm exierit, potestatem non habet, L. vltima D. *De officio Præfecti vrbi.* non qui intra centesimum lapidem, vt plerisque visum est, sed qui agri Romani finibus continentur. Vt enim Prætoris verbi gratia Tusculani potestas agri Tusculani terminis coerceretur, eodemque modo municipiorum, coloniarum, oppidorum omnium magistratus suo quisque territorio se continebant: ita Præfecti vrbi propria & iure magistratus congruens administratio Romani territorij fines egressa non est. Proinde quicquid Præfecto extra hos cancellos, aut intra Centesimum, aut per Prouincias concessum est, id illi non iure magistratus, sed speciali Principum volun-

tate tributum fuisse cēsendum est. Quomodo & apud legum Mosai-
carum Collatorem Tit. XIV. Vl-
pianus idem constitutionibus cō-
peruentum suo tempore obseruat,
vt Romæ Præfectus vrbi solus co-
gnosceret, si quid in legem Fauia
intra miliarium centesimum ad-
missum esset. Vide nunc ergo quā-
tū summæ tuæ desit, qui Romani
agri fines perpauca ab Vrbe mili-
bus circumscriptos ad centesimū
vsque lapidem ampliari; atque
integras non dicam colonias &
præfecturas, sed si tibi, Coniecto-
rique tuo credimus, suburbicarias
omnes prouincias vno Urbis terri-
torio ac terminis exhaustas ve-
lis: tum Præfecto vrbi quid pro-
prio iure competat, quid specia-
li lege tributum sit, non distin-
guas. Adeo vno in capite non

vna, sed multiplex tua est hallucinatio.

CAPVT II.

Italia in vrbicarias & annonarias regiones diuisio reiecta, Trebellij locus à Causidico perperam expositus. Enumerari à Trebellio regiones omnes Italia, etiam quæ intra Centesimum. Nec Italiam propriè dictam omnia complecti, quæ sunt extra Centesimum, nec suburbicarias eas tantùm, quæ intra centesimum. Annonariarum etymum refellitur.

EXPLODENDA nunc est Italia Prouinciarum diuisio, in qua te passim & iactanter ostentas, hoc fortasse confidentiùs, quòd prolatam, laudatamque à Coniectore tuo intactam in Censura notastra reliqueram. Italiae, inquis, regiones, seu prouinciæ, aliæ annonariæ, aliæ suburbicariæ fuerunt.

Pag. 10.

Suburbicariæ quatuor tantum, eque
 que intra centesimū ab Urbe mil-
 liarium: reliquæ omnes annonariae,
 nomen id ex eo nactæ, quia
 functiones annonarias pensabant,
 à quibus immunes erant suburbicariæ.
 Hæc illius, ni fallor, orationis est
 summa: hæc tua quoque, nisi quid ab
 illo discrepas, est sententia. Cuius
 quidem, ut lenissimè dicam, quot sunt
 capita, tot errata. Et tamen falsæ
 assertionis vindex, auctórque
 producitur Trebellius Pollio, cum in
 Tetrico seniore de Aureliano scribit
 his verbis: *Pudore victus vir nimium
 seuerus, eum quem triumphauerat
 Correctorem totius Italiae fecit, id est
 Campaniæ, Samnii, Lucania, Brutorum,
 Apulia, Calabria, Etruria atque
 Umbriæ, Piceniæ & Flaminia, omnisque
 annonariæ regionis. Sed quid habet
 hic locus,*

quod errori tuo patrocinetur? Cui enim persuadebis, Pollionē, cū totam Italiam Tetrico commissam dicat, atque omnes eius Prouincias enumeratione sua comprehendat, non tamen Italiam totam intelligere, neque omnes illius Prouincias designare, sed tantummodo annonarias? Aut quis tibi concedet, scriptorem non omnino malum tam putida vsum esse tautologia, vt paucis & cōtinuatis pene verbis idem repetat, hoc est, Tetricum Italiae Correctorem factum bis dicat; quod fieri necesse est, si vnum, quod ais, atque idem est Italia & annonaria regio? Quodnam ergo dices inter ista discrimē? Quasi obscurum id sit, ac non potius ita obuium & apertum, vt ab iis etiam, qui parum acutos se natos gaudent, videri possit. Quæro

enim ex te, si de Turonēsi Antisti-
 te, quibusnam ciuitatibus Metro-
 politani iure præsit, ita me lo-
 quentem audias, vt dicam illum
 Tertix Lugdunensi vniuersæ, hoc
 est Cenomannicæ, Andegauensi,
 Redonicæ, Nanneticæ, omnibus-
 que Britanicis ciuitatibus præesse:
 an verba mea sic accipies, vt Tertiã
 Lugdunensem, & Britannicas ci-
 uitates idē esse, aut Cenomannos
 etiam, atque Andegauos Britanni-
 carum gētium numero adscriptos
 censeas? Si bene ingenium tuum
 metior, non tam peruersè iudica-
 bis: sed hoc potius ita statues, in
 hoc Turonensis Prouinciæ ciuita-
 tum catalogo; cū ad eas ventum
 esset, quæ in Britannia sitæ sunt, &
 aliæ quæ sequebantur, eiusdem
 generis omnes essent, adiectam
 fuisse notam, quæ reliquas omnes

nexas, totius Italiae regiones complecti. Aliud proinde annonarias, aliud totius Italiae regiones esse. Hæc nimirum plana atque expedita erat Trebellij verborum interpretatio. Tu verò vt Trebelliū in partes trahas, & suffragium exprimas ab inuito, commenta illi affingis tua, tecumque non absurda modò, sed pugnantia etiam loqui cogis. Quid enim? an non pugnant ista secum, annonarias regiones in Italia dici quæcumque sint extra cêtesimum, & Vmbriam tamen inter annonarias numerari, quæ intra centesimum continetur? Suburbicarias rursus eo spatio definiri, quod centesimo terminatur, cùm Picenum, quod inter suburbicarias censerî compertum est, extra centesimum lapidem positum esse nemo nesciat? Quam hîc

B

in partem te conuertes? Vmbriam abnues centesimo contineri? At reuincet Coniector, qui vt Picenum, quod extra eos fines esse norat, intra centesimum concluderet, suis illud sedibus summouit, & in agro Spoletino, hoc est in media Vmbria collocauit. An Picenũ extra ceterimi terminos situm negabis? Tu te ipse fateri coges, qui in Epistolæ tuæ calce Picenum vtrumque Marchiæ nomine comprehendi scripsisti: Marchiam autem vltra centesimum totam esse res docet. Aut Vmbriam igitur de annonariarum albo expunge, aut annonarias etiam intra centesimũ aliquas confitere. Aut Picenum porrò suburbicarium nega vllum fuisse, aut suburbicarias etiam vltra centesimum positas agnosce. Ita cassam & futilem, quocumque

Pag. 116.

te veritas, ac secum ipsam pugnantem, tuam istam, cui patrocinium ex Trebellio quærebas, Italicarum regionum distinctionem fateare necesse est.

Iam illud quoque quam pariter absurdum est, quod tanto nisu, tantoque aduersus doctos omnes fastu adstruere conatus est Coniector, annonarias ex eo dictas, quod annonam penderent, quam suburbicariæ videlicet non debebant? Hoc enim intelligi de suburbicariis voluit, aut causam nullam dixit, cur ab his annonariæ distinguatur, si annonæ hæ quoque pensitabant. At functionibus annonariis obnoxias etiam fuisse suburbicarias, tum aliæ cōplures, tū maxime xiv. Cod. Th. *de Indulgentiis debitorum*, Honorij lex probat: *Quod, inquit, de annonariis functionibus per*

urbicarias regiones clementia nostra concessit, etiam in largitionalibus titulis & emphyteuticis reipublicæ prædiis custodiri mādāmus. Amotis igitur reliquis etiam circa largitionales titulos, debita ex præsentī Indictione constituit, chartis aboliitis debitorum. Si annonariarum functionum reliqua suburbicariis regionibus indulgit Princeps, consequens est profectè, vt ab illis debitas, & ministrari solitas intelligamus, & frustra sudādo nihil profecerit Coniectōr, qui hoc illas onere immunes videri voluit. Quod si falsum tu id esse subodoratus, propterea mentionē huius etymi nullam facis, clientisque tui errorem, vt sæpe soles, tacitò condemnas, solertiam laudo. Eorum enim more facis, qui vadimonium deserunt, ne causa cadant. Sed quid negotij erit, si dissentire vobis in-

ter vos & digladiari licet, myrmil-
lones conficere, qui mutuis se vul-
neribus cædant, ac suis se ipsos
mucronibus confodiant?

CAPVT III.

*Suburbicarias rectè dici prouincias qua
ab urbis Vicario regebantur. Cur solum Pi-
cenum in Notitia suburbicarij cognomen
gerat. Causidicus suo ipsius argumento reuin-
citur. Sicilia item cur interdum seorsim ab
urbicariis nominetur, veram in Censura cau-
sam esse allatam. Sicilia eadem alibi Urbica-
riarum nomine comprehensa. quare ab illis
minimè diuersa.*

MAGNO te, clientemque tuū,
nisi dissimulas, præsidio de-
iectum vides, cū tibi extorta est
Trebellij Pollionis auctoritas qua
muniebaris. Iam enim perspicuū
est, non modò annonarias ab illo

nō omnes dictas esse, quas fingitis; sed hoc etiam, quod vestræ caput est Dissertationis, nec Italiã, cū angustius sumitur, & ab vrbicariis regionibus distinguitur, regiones vniuersas, quæ extra centesimum sunt lapidem, complecti posse; nec suburbicarias omnes, vt vobis placet, intra centesimum contineri. Quo euerso fundamento, quid est in tota illius Coniectura, aut in tota Epistola tua, quod vlla ex parte cohæreat? Quanto ergo simplicius ac breuius erat, id quod te Censura nostra docuit, & proximè ab Hieronymo Aleandro, doctissimo & humanissimo viro est approbatum, agnoscere? Centesimi videlicet rationem, finesque, ad specialem Italiæ significationem, vel ad suburbicariarum appellationem nihil omnino pertinere: sed

cùm à Constantino Magno duo in Italia Præfecturæ prætorianæ Vicarij essent constituti, Vicarius Urbis, cuius sedes Romæ, & Vicarius Italiæ, qui sedem habuit Mediolani: exinde factum, vt vrbicariæ, vel suburbicariæ dici cœperint prouinciæ quas Vicarius vrbis administrabat, decem nimirum, quæ in Notitia numerantur, *Campania, Tuscia & Umbria, Picenũ suburbicariũ, Sicilia, Apulia & Calãbria, Bruttij & Lucania, Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria.* reliquæ verò septem, quoniam à Vicario Italiæ regebantur, proprium sibi deinceps Italiæ nomen vindicarint, quomodo & Vicarius ipse, quamuis Italiæ tantùm partem obtineret, Vicarius tamen Italiæ vocabatur. Hoc exordiũ fuit Italiæ præfilius sumptæ, hic fons & origo vr-

bicariatum regionum. Quod si tibi ad hanc lucem oculos intendere fas esset, nec te ista Centesimi fabula irretitum teneret; rideres ea profectò, quæ nunc nobis velut ardua & inextricabilia pueriliter obiectas. Quid enim est tandem, quod opponis? Maximam, ais, admirationem mouere tibi, quòd in Notitia, cù Vicarij Urbis prouinciæ recensentur, vnica Piceni regio suburbicaria dicatur, cùm ceteræ nostra sententia sint etiam suburbicariæ. Mihi verò mirandum hoc potiùs meritò videtur, obiici id abs te mihi, quod in te possit retorqueri. Cedo enim, equas tu suburbicarias esse censes? *Latinam, inquis, regionem, Valeriam, Picenum suburbicarium, Tusciam suburbicariam.* Quàm id aptè, postea viderimus. Nunc rogo quid causæ

Pag. 9.

Pag. 44:



fit, cur suburbicariæ cùm sint omnes, duabus tantùm id nomen imponas? Respondebis, opinor, idcirco his duabus suburbicarij nomen addi, vt à Piceno annonario, & à Tuscia annonaria distinguantur. Neque eo fieri, vt Valeria, & Latina regio suburbicariæ non censeantur; quemadmodum in enumerandis Franciæ regni prouinciis, si quis cùm ad Burgundiam tuam ventum est, Franciæ illi nomen addat, vt ab altera Burgundia, quæ illi coniuncta est, seceratur, non eo fiet, vt Campania, Prouincia, Britannia, & ceteræ omnes Franciæ nō sint. Quæ cùm dixeris, nemo erit qui non acquiescat. Cur tu igitur, quasi non idem ius Titij esse debeat, quod Sempronij, qua defensione in causa tua vteris, eadem nos in nostra vti ve-

P. 12. 13. 14. tas? Miraris rursus, quo pacto in lege l. x. Cod. Theod. *De extraordinariis muneribus*, Sicilia, si vrbicaria est, ab vrbicariis regionibus se iungatur; & gaude te non tam acutum esse natum, vt quam attuli causam intelligas: nempe quòd curandis fundis patrimonialibus & emphiteuticariis, de quibus lex agit, diuersus esset in Sicilia Rationalis ab eo qui Rationalis per vrbem Romam, & suburbicarias regiones dicebatur. At ego vereor, ne dolèdum sit potius amicis tuis, tam rudem te atque hebetem videri, vt híc etiam non sentias, quas mihi tendiculas obiicis, iisdem te incautum atque imprudètem implicari. Quid enim? An non in Notitia eadem, inter eos qui sub dispositione Comitis rerum priuatarum militabant, Procurator legi-

tur rei priuatæ per Italiam, & Procurator item rei priuatæ per Apuliam & Calabriam? Quæro ex te, Apuliámne & Calabriam putes Italiæ nomine contineri. Nam mihi quidem, qui Apuliam & Calabriam Vrbicarias esse docui, facile est negare: at tibi integrum non est, qui Italię vis nomine quicquid est extra centesimum comprehendi. Cum igitur in Italia tuo iudicio sint Apulia & Calabria, quid aliud causę adferes, cur hîc ab Italia separentur, nisi quod à diuersis ipsæ Procuratoribus, sicut illæ à diuersis Rationalibus, administrarentur? Noli ergo flagitare, vt alio me patrocínio defendam. Satis tutum tectumque oportet illum videri, qui eius sibi exemplo cauet, qui accusat. Sed quoniam sentio hîc mihi rem cum vno te

solo non esse, sed cum togato iuris Antecessore, quem in errorem nuper impulisti, agedum illius causa iterum congregiamur. Urbicarias regiones appellari docui, quæ in Vicarij vrbis erant potestate; sub Vicario autem vrbis Siciliam fuisse Notitia testata est; ex quo nimirum vrbicariam esse Siciliam sequebatur. Hic mihi Theodosiana lex obiicitur, quæ Siciliam ab vrbicariis regionibus distinguere videatur. Obiici hanc posse præferam: ideo ne cui fucum faceret, admonueram quid causæ esset, cur Sicilia in ea lege, tametsi est vrbicaria, ab vrbicariis seiungatur. Nec difficile erat causam assequi, cum eodem more apud nos videamus, à Rectoribus prouinciarum sæpe distingui Rectores arcium, oppidorumque nonnullo-

rum, quæ ipsa tamen in iisdem
 prouinciis continentur. At Tibi,
 Antecessoriquæ ratio ista non sa-
 tisfacit. Quare hoc vno legis argu-
 mento confici putat, Siciliam vr-
 bicariam prorsus non fuisse, vrbi-
 carias proinde ab vrbis vicario dici
 non posse. Verùm si Siciliam ab
 vrbicariis lex illa penitus excludit,
 de lege altera, quæ vnica est in Co-
 dice Theod. *Si per obreptionem*, quid
 censes? Quæro enim, cùm Præfe-
 cto præt. Italiæ & illyrici præcipit
 Imperator, vt *per omnem Italiam,*
tum etiam per Vrbicarias, Africanasq;
regiones, ac per omne Illyricum, hoc
 est, per omnes præfecturæ illius
 diœceses, legem promulget, Sici-
 liam ecquo putas harum partium
 capite contineri? Exclusam enim,
 opinor, non dices, cùm Italiæ Præ-
 fecto paruissè Siciliam non dubi-

tes. Qua igitur in parte comprehensam putas? Illyricone, an Africa? ridiculum sit suspicari. nam Italiae Insulam fuisse Siciliam quis nescit? Sed cum Italiae duae fuerint dioeceses, quae in hac lege distinguuntur, Italia & Urbicariae, ad Italiae dioecesim pertinuisse Siciliam, cum Italiae Vicario non subesset, absurdum est affirmare. restat ergo, ut urbicariarum numero comprehendatur. Quod si urbicariarum hinc nomine Sicilia continetur, causa certe quaerenda est, cur in lege 1x. *De extraordinariis muneribus* eadem ab urbicariis secernatur. Ego eam attuli, quae aptissima videbatur. Tu Antecessori nuntia, ut aut certiolem ipse proferat, aut nostram probet, atque infirmo se argumento ad Sicilia de urbicariarum albo eradendam usum sen-

tiat. Tu porro, si primam Italiae huius, suburbicariarumque originem, quam dixi, & veras vtrarumque metas ac terminos didicisses, non modò in his nunc salebris non hæeres, sed alios etiam scopulos, ad quos passim offendis, declinares. Nec suburbicarias scilicet ante Constantinum appellatas, cùm exemplum, vel auctorem nullum habeas, sine tabulis, sine teste, sine suffragio affirmares. nec Italiae nomen in Aureliani edicto, vel apud Pollionem, & alios, qui Constantini tempora antecesserunt, aliud quàm Italiam totam, quæ in duas dioceses diuisa nondum erat, interpretandum crederes: nec duas denique has partes, Italiam, inquam, & vrbicarias, quæ pro Vicariorum, à quibus regebantur, discrimine, ita sunt apra &

40 DE REGIONIBVS
concinna partitione distributæ, vt
Vicario Italiæ subessent omnes
Italiæ huius prouinciæ, Vicario
vrbis omnes vrbicariæ: tu contrà
peruerso rerum ordine ita confun-
deres, vt si vera sunt quæ somnias,
nec Vicario Italiæ pareant omnes
Italiæ suæ prouinciæ, & Vicarius
Vrbis nō solas vrbicarias, sed alias
etiam in sua habeat potestate.

pag. 17.

CAPVT IV.

*Specialis Italia non amplius quàm septem
prouincias complexa, quæ à Vicario Italiæ
administrabantur. Ideo ab Italia Campaniã,
Apuliam, Calabriam secludunt cum Athana-
sio Synodi Sardicensis & Arelatensis sub-
scriptiones. Diluuntur ridicula causi dici ob-
iectiones, idemque ἀπλογίας conuincitur.*

DE Italiæ pressius sumptæ fi-
nibus hoc inter nos est di-
scrimen,

scrimen, quod Coniector, eiusque patronus, omnes illam prouincias complecti volunt, quæ sunt extra Urbis Centesimum: nos septem illas duntaxat, quæ Diocesim Vicarij Italiæ constituunt, Venetiam cum Istria, Æmiliam, Liguriam, Flaminiam cum Piceno annonario, Alpes Cottias, Rætiam primam, Rætiam secundam. Rem vt auctorum testimonio firmaremus, Synodi Sardicensis Epistolam inter cetera produximus, quæ ab Italia hoc sensu Campaniam, Calabriam, Apuliã secludit; quod certè non faceret, si Italiæ omnes essent quæ sunt extra Cêtesimum, cùm extra Centesimi fines has esse nemo non videat. Hunc tamen Synodi locum oppugnandum sibi Amicus delegit. prolixè ille quidem ac verbosè, sed confusè adco

C

& perturbatè, vt satis liqueat ipsum quæ scribebat non intellexisse. Nam cùm aliud sit Prouincia, aliud Diœcesis, quæ multarum prouinciarum est complexio: cùmque alia ciuiliū diœcesum aut prouinciarum sit ratio, alia Ecclesiasticarum, quarum vnica ciuiles multas sæpe continet, interdum singulæ singulis adæquantur; sicut in Censura nostra probatum est: acutus hic homo, & prouincias cum diœcesibus confundit, & ab Ecclesiasticis ciuilia non distinguit, nec Italiam solidam atque integram ab Italia, quæ pro Italiæ tantum parte sumitur; susque deque omnia miscet, & iudicij alieni securus, quàm ridiculum lectori se præbeat pensi nihil habet: vt me ipsum susceptæ iam operæ tædeat, atque amicis indignari prorsus in-

cipiam, qui me cōiuitiis suis vt tam
 inepta refellerem adegerunt. Au-
 diamus tamen quibus machinis
 Synodi auctoritatem expugnet.
 Synodi verba sunt, ἡ ἀγία συνόδος Pag. 25. 10.
 συναρθεῖσα ἀπὸ Ρώμης, καὶ Ἰταλίας,
 Καμπανίας, Καλαβρίας, Απουλίας.
 Negat in his verbis ab Italia Cam-
 paniam, Calabriam, Apuliam se-
 cludi, sed tanquam eius partes Ita-
 liæ vult subiungi, quia nulla post
 Italiam interposita est distinctio.
 alioqui disiunctiuam particulam
 indidisset, hoc modo, ἀπὸ Ρώμης,
 ἔκ τῆς Ἰταλίας, καὶ Καλαβρίας, καὶ Καμπανίας.
 Itane verò? Confecta res erat, si
 hanc Synodus notam adiecisset?
 Quid ergo Athanasio dices, qui
 adiecit in Epistola ad solitarios, ἀπὸ
 τῆς μεγάλης Ρώμης, καὶ τῆς Ἰταλίας πᾶ-
 σης, Καλαβρίας τε καὶ Απουλίας, καὶ Καμ-
 πανίας, Βρεττανίας τε. An non hoc est,

quod aiebam, te quid scribas pensi nihil habere, ac tuo te gladio, vt tuis verbis vtar, iugulare? Quamquam ineptum est certè, Synodi sententiam ex vocolæ vnus, quæ ad rem nihil faciat, apicibus pendere. Vnde certius explorari Synodi mens possit, quàm ex Synodi ipsius subscriptionibus? Illas ergo recognosce. In his Episcopos leges, *Protasium ab Italia de Mediolano, Ursacium ab Italia de Brixia, Fortunatianum ab Italia de Aquileia, Lucillum ab Italia de Verona*; deinde *Vincen- tium à Campania de Capua, Ianuarium à Campania de Benevento, Calepodium à Campania de Neapoli*; *Stercorium denique ab Apulia de Canusio*. Si Càmpaniam & Apuliam Synodus ab Italia non distinxit, quid attinebat post Episcopos quos Italiæ adsignarat, reliquos Campaniæ vel

Apuliæ adscribere? Nimirum Italiae eos omnes attribuit, qui è variis Diœcesis Italiae prouinciis, quas sciebat vnica Ecclesiastica, hoc est Mediolanensi, prouincia contineri: ceteros seorsim Campaniæ vel Apuliæ; quoniam vtraque suam ipsa prouinciam constituebat. Quod clariùs etiam, disertisque verbis Arelatensis primæ Synodi subscriptiones docent: *Ex prouincia Italia, ciuitate Mediolanensi, Mirocles Episcopus. Ex prouincia Campania, de ciuitate Capuensium, Proterius Episcopus. Ex prouincia Apulia, de ciuitate Arpiensium, Pardus Episcopus.* Et Athanasius in eadem Epistola pag. 636. cùm Capuam Metropolim Campaniæ vocat, & Vincentium eius Episcopum commemorat, Βικέντιον ἡγούμενον ἐπὶ Καπώης. ἐστὶ δὲ αὐτῆ μνησθέντις τῆς Καμπανίας, an non

apertè peculiarem Campaniæ prouinciam fuisse significat ? Nisi tu fortè aliud Metropolim esse putas, quàm caput & principem urbem prouinciæ. Abi nunc ergo, & desine tandem de Campania, Apulia, Calabria stolidè sciscitari, cuius sint prouinciæ, Italiæne an Romanæ: cùm videas earum vnamquamque non ciuili tantùm, sed Ecclesiastico etiam iure, solidam per se prouinciam fecisse. Pergis tamen, & indignas prouinciarum numero iudicas, quòd cum Romana vel Italiæ prouincia comparari amplitudine, cõferrique non possint. Quasi verò reges hodie dici nequeant, quorum regna terrarum spatiis Gallias vel Hispanias non æquant, aut prouincias olim omnes in Gallia oportuerit esse Maximas Sequanorum, & in Britannia

Pag 65.

Pag 54.

Maximas Cæsarienses. Non capis, P. 25 26. 29.

qua ratione *πᾶσθμ Ἰταλίαν* Athanasius, *omnem Italiam* dicere potuerit Hieronymus, si Campaniam, Calabriam, Apuliam, non comprehendunt: quomodo Valentinianum Imp. capies lege 1x. Cod. Theod. *De annona & tributis*, aut Gratianum L. vnica. *Si per obreptionem*: quorum hic pariter omnem Italiam, ille omnes Italiæ regiones dixit, tametsi Urbicarias excludant? Tu ne adeo es immemor, ut de Italia, quæ Italiæ tantum partem, hoc est diœcesim eius alteram continet; nos loqui non recorderis? Quod si recordaris, quid causæ est, cur cum varias & ipsa partes prouinciasque complexa sit, omnem Italiam ab iis dici non feras, qui omnes eius partes intelligant? Sed restat tibi validissimum telum, Pag. 27. 21

quo Campaniam, Apuliam, Calabria
 briam nihil aliud quàm Italiae hu-
 ius partes esse concludas, idque ex
 nostra, quod tibi certè gloriosum
 est, pharetra depromptum. Sir-
 mondus, inquis, in regionum ca-
 talogo, quæ Romanæ prouinciæ
 attribuebantur, nullam harum nu-
 merat. Italiae ergo prouincię illas
 adiudicat, hoc est secū ipse pugnat,
 qui Italiam scripsit non amplius
 quàm septem Vicarij sui prouin-
 cias continere. Ita enim ἀπλογίας
 nos redarguit, & latus nostrū ferro
 nostro petit. Sed ô plumbeum pu-
 gionem! Quo enim exciperes ca-
 chinno, si me ita differentem audi-
 res: Belgicam Amicus, & Aquita-
 niam in Celtica non ponit; ponat
 ergo necesse est in Narbonensi.
 Nā tua quidem par huic, & simil-
 lima est argumentatio. Nos verò

qui stultum ducimus prouinciam in eiusdē ordinis prouincia quære-
re, nec in Italię istas prouincia, nec
in Romana collocamus. Tu pro-
pterea quòd hætenus Campaniã,
Calabriam, Apuliam separatas ef-
se prouincias ignorasti, Italiã illas
prouinciã partes dicis: qui tamen,
si placitis tuis consentanea loqui
velles, Romanã potiùs dicere de-
bueras. Cùm enim Ecclesiasticas
prouincias & administrationes ad
ciuiliū formam constituendas
tu, Coniectorque tuus censeatis,
& Campaniam, Calabriam, Apu-
liam tu idem, Coniectore tuo ad-
monitu nostro cautior factus, non
ad Vicarij Italiã, vt ille sentiebat,
sed ad Vicarij Urbis tribunal per-
tinuisse didiceris; consequens erat
profectò, vt earumdem Episcopos
Romanã potiùs, quàm Italiã pro-

42 DE REGIONIBVS
uinciae adscriberes. Videtis nunc
ergo, vter nostrum testimonio suo
reuincatur, vter ἀπίλογίας ἀλίσκεται,
vter ἀποιδυ ὀφλισκάνει.

CAPVT V.

Suburbicariae omnes non sunt intra Centesimum. Secum pugnat Causidicus, qui Umbriam suburbicariam esse negat, quae tamen est intra Centesimum. Latina regio inter provincias nunquam habita, Valeria ultimis tantum temporibus. Prouinciae omnes Urbis vicinae non ad Praefecti, sed ad Vicarij Urbis administrationem pertinebant.

PRÆCIPVVS Duumvirum nostrorum labor est, vt suburbicarias regiones intra Centesimum describant. Nam quia quatuor omnino eius nominis esse à pessimis magistris, hoc est à coctoribus calcis didicerunt, quas decem numero fuisse Imperij Notitia nos docet, de Piceno quidem & Tuscia,

quin suburbicariæ sint, ambigi nō posse intelligunt, de reliquis duabus inter se non consentiunt. Cōiector enim Latium vetus & Latium nouum, primus, vt ipse gloriatur, nouas suburbicarias creauit: vitio creatas exclamat Amicus, & pro his Latinam regionem, Valeriámq; substituit. Prorsus autem quatuor suburbicarias Centesimo definiri, atque in his Præfecti vrbis diœcesim contineri volunt. Quanquam igitur à nobis iam in Censura ostensum est, frustra Præfecti Vrbis diœcesim, aut prouincias fingi, quæ nullæ sint: tamen in hisce fingendis, constituendisque quàm multa peccent, hîc quoque demonstrandum est. Primum enim, quàm ineptum est suburbicarias omnes Centesimo concludere, cū extra hos fines Picenum

Pag. 41 42

esse liqueat, quod suburbicarium inficiari nō potestis? Deinde quā absurdum, quæ Centesimo conti-
 neātur eas omnes suburbicarias di-
 cere, cū intra Centesimū sit Um-
 bria, quam suburbicariam negatis?
 Verūm hæc, quæ antea quoque at-
 tigimus, & vtrique vestrū sunt
 communia, omittamus. Valeriam,
 Latinamque regionem tuā explo-
 remus, quas tu, Cōiectoris tui ἀπι-
 ειοκεψίας notans, vtrique eius Latio
 anteponendas censuisti. Nempe
 dum cornicum, quod aiunt, ocu-
 los configis, tuos ipse confodisti,
 vt quod ille videre non potuit, tu
 quoque non videres. Quem enim,
 nisi oculis captum, latere potest,
 in Descriptionibus Prouinciarum
 Italiæ, quotquot in antiquis Bi-
 bliothecis extant, Latij aut Latinæ
 regionis nomen nusquam legi? A-

gedum, aures admoue, si oculos non habes. IN ITALIA PROVINCIÆ NUMERO XVI. *Campania, in qua est Capua, Tuscia cū Umbria, in qua est Roma, Æmilia, Flaminia, in qua est Rauenna, Picenum, Liguria, in qua est Mediolanum, Venetia cum Histris, in qua est Aquileia, Alpes Cottia, Samnium, Apulia cum Calabria, in qua est Tarentus, Brutia cum Lucania, Rætia prima, Rætia secunda, Sicilia, Sardinia, Corsica.* Hæc nostri est Codicis dinumeratio, à qua ceteri nihil discrepant, nisi quòd in nonnullis Roma præteritur, quam tamen in Tusciæ prouincia cõstitutam notat etiam Paulus Diaconus in gestis Longobardorum libro II. Cum hac autem Descriptione confer alteram, quæ in vtriusque Imperij Notitia legitur his verbis: PROVINCIÆ ITALIÆ XVII. *Vene-*

tie cum Histris, Æmilia, Liguria, Flaminia & Piceniannonarij, Tuscia & Umbria, Piceni suburbicarij, Campania, Sicilia, Apulia & Calabria, Regiis prima, Regiis secunde, Samnij, Valeris, Sardinie, Corsicę. Ex his duabus Italię Prouinciarum Adnotationibus priorem à Constantino magno ad Theodosium vsque obtinuisse, si dubitari abs te posse crederem, facile esset docere: posteriorē Theodosij, filiorumque eius temporibus natam, vsurpatamque, Notitię ipsius schemata declarant. Nūc igitur percontari libet, cū inter Italię prouincias, quę post Cōstantinum, vt de superiore memoria nihil dicam, agnitę deinceps vel auditę sunt, nullum nec Latij, nec Latinę regionis sit vestigium, quia in Campanię videlicet prouincia comprehendebatur: quónam vos

mentis errore vel audacia Prouincias vobis fingere potuistis, quæ Prouinciæ non erant? Tum de Valeria quæro ex te, quî factum putes, vt in priore catalogo eius nomen non legatur, nisi quia in Prouinciarum numero nondum erat? Valeria enim, si nescis, antiquû viæ nomen est, recens prouinciæ, quæ Samnij ferè antea pars fuit. Quo igitur pacto tot sæculis quæ antecesserant Præfectianæ, quam dicitis, diœceseos prouincia potuit esse Valeria, si nata non erat? Quid si de Tuscia quoque ac Piceno quæram eodẽ modo, cùm Piceni suburbicarij mentionem in posteriore tantùm Notitia videas, Tusciæ suburbicanæ ne in hac quidem; an non certa sit coniectura, Picenum & Tusciam, cùm integræ antea essent prouinciæ, in duas po-

stea, sed serò ac postremis demum temporibus esse diuisas, annues an negabis? Sed hunc ego locum, ne absurdus abs te aliquid exprimā, in præsentia non vrgebo. Hoc respondeas velim, cum è quatuor Prouinciis, quas Præfecto Vrbi assignabas, Latina regio nulla sit, Picenum sit extra Centesimum, Valeria nimis recens, Tuscia sit incerta, Præfectianam istam diœcesim, quam in his constituebas, quibus tandem ex Prouinciis conflaturus es? Nam frustra, vt vides, in his conquirendis hæctenus cum collega tuo laborasti. Et profectò, qui id quod nusquam est quærunt, hoc nimirū agunt, vt multum sudando inueniant nihil. Quare casto atque irritò conatu abstine, si sapias. Præfectus Vrbi, quod sæpe iterandum est, non prouincialis,

sed

fed urbanus fuit magistratus: nulla proinde illius diœcesis fuit, nullæ prouinciæ. Propria enim & præfecturæ iure illi congruens administratio vrbe Roma, Romani-que agri terminis finiebatur. Húc agrum quæ cingebant Prouinciæ, & quotquot omnino Cêtesimi partem aliquam attingebant, suos singulæ Rectores habebant, Consulares, Præsides, Correctores, quibus nihil commune fuit cum Præfecto Urbis; in Vicarij autem urbis erant potestate; vt ceteri omnes, qui reliquas eius diœcesis prouincias, hoc est suburbicarias ceteras administrabant. Denique vt intelligas Præfecto Urbis prouincias non fuisse commendatas, Symmachum audi lib. 1 x. epistola cxix. Disces enim non solum Præfecturæ Urbanæ oppositam fuisse pote-

D

50 DE REGIONIBVS
statem, cui prouinciarum iura mā-
data sint: sed Præfecti Urbis angu-
stos adeo iurisdictionis terminos
fuisse, vt Albam vsque non excur-
rerent. Scripta est epistola, (nam
titulo caret) ad Vicariū Urbis, vt
coniicio, digna quæ priorem hanc
dissertationem claudat, atque in-
tegra legatur. Ea est huiusmodi.

SYMMACHI EPISTOLA
LIB. IX. EP. CXIX.

*SECUNDVM proxima ætatis exēpla,
clarissimo & excellentissimo viro, fratri
nostro Præfecto Urbis incestatę Primige-
nię virginis, quę sacra Albana curabat,
à collegio nostro vindicta delata est. Sed
quia litteris cuius causę probabiles asse-
runtur, quòd neque muros æternæ Urbis
tanti criminis reos fas sit intrare, neque
ipse ad longinqua possit occurrere: cum*

facinus ubi admissum est debeat expiari, necesse perspeximus, potestatem finitimam conuenire, & cui prouinciarum iura mandata sunt; ut in Primigeniam, quæ publicarum cerimoniarum maculauit arcana, corruptoremque eius Maximum, qui quidem flagitium non negauit, seueritas semper his adhibita exeratur. Dignaberis igitur, consideratis confessionibus, quæ nefandi tragædiam prodiderunt, iniuriam castissimi sæculi reorum suppliciis vindicare.



ADVENTORIAE

PARS ALTERA, DE ECCLESIIS *suburbicariis.*

CAPVT I.

Suburbicarij notio, pro rerum ad quas refertur varietate, laxior est vel angustior. Quare falsum est Ecclesias suburbicarias latius patere non posse quàm prouincias. Suburbicariae Ecclesiae quanam essent, Rufini aetate notum erat. Synodus Nicana Episcopi Alexandrini diocesim definiuit, non Romanam. Aegypti vox non minùs ambigua, quàm suburbicarij.



VI circa regiones suburbicarias tam multis modis hallucinatus es, de Eccle-

D iij

siis quàm certa pronuntiaturus sis, non difficile est coniectura prospicere: sed quamlibet absurda fingantur, infra euentum erit expectatio. Disputationis fons & origo Rufinus, ecquas ille suburbicarias Ecclesias in Nicæni Canonis vi. expositione dixerit, cum in eo cautum scribit, vt Episcopus Alexandrinus Ægypti, sicut Romanus suburbicariarum Ecclesiarum curam gerat. In quo quidem quoniã inter nos & Coniectorem conueniebat, Synodum Nicænam de speciali Episcopi Romani diœcesi loqui, quam Græci quoque ipsi Occidentem vniuersum complexam esse fateantur, hoc necessariò consequi ostendimus, vt Rufinum constaret, vel Synodi mentem non expressisse, vel suburbicariarum nomine Occidentales omnes Ec-

GENS II.
cap VIII.

clesias comprehendisse. Sensisti
 quã vim habeat hæc argumétatio.
 Itaque, ne te illa in angustias com-
 pelleret, tacitam dissimulasti. Et
 quasi confectum à nobis nihil ef-
 fet, rem denuo arcessis à capite, ne-
 gasque suburbicarias Ecclesias di-
 ci alias posse, quàm quæ suburbi-
 cariis tuis prouinciis continean-
 tur. Vagum alioquin & ambiguum
 ais fore vocabulum, quod certas &
 statas Ecclesias non denotet, cum
 certam à Synodo ac definitam E-
 piscopo Romano diocesim adsi-
 gnatam fuisse non ambigas. Tua
 sunt hæc omnia, vt opinor. Vide
 tu, an ratiocinationis tuæ caput v-
 lum, quod ad rem faciat, præter-
 mittam. Quanquam hæc ipsa, quæ
 commemoravi, cum falsa ineptã-
 que sint, ad rem tuam quid faciunt,
 nisi vt te inertia in scitiaque con-

Pag. 48.
 Pag. 52.

demnent? Primum enim, quis tibi Grammaticorum assentiatur, suburbicarij notionem pro rerum, ad quas refertur, varietate angustiore, laxiorémve esse non posse? Quæso te, Parisiensem præfecturam cum audis, eosdemne illius fines animo fingis, cum de Prætoribus Parisiensi agitur, eosdem cum de Episcopo, eosdem cum de Curia, supremoque tribunali Parisiensi? Insanus sis, si fingas. Cur igitur eadem intelligi aut concipi vis spatia, cum provinciæ, eadem cum Ecclesiæ suburbicariæ nominantur: & quod inde sequi necesse est, cur Episcopi Urbis, & Præfecti Urbis, & Vicarij Urbis, & aliorum, si qui ab Urbe nomē ducunt, eosdem potestatis, ac iurisdictionis terminos esse iubes? At suburbicaria, inquis, cum ex eo dicta sint,

quia circa Urbē, vel sub Vrbe erat, ad longinqua transferri non possunt. Equidem hoc à te scribi video, sed contra te, sed contra Coniectorem. Quid enim? An illum oblitus es, atque illius exemplo te, Umbriam, quæ Vrbi proxima est, de suburbicariarum numero expunxisse? Si suburbicariæ de urbis vicinia sunt dictæ, suburbicarium Picenum esse cur agnoscis, Umbriam negas, quæ Vrbi tamen vicina & propinquior est, quàm Picenum? Aut consentanea loqui disce, aut tace, & iis qui didicere, loquendi partes concede. Iam illud porrò quàm inane est, quod causaris, incertum & ambiguum fore, quas Ecclesias suburbicarias dicat Rufinus, si has etiam extra eius nominis prouincias accipi placeat? Quasi verò Rufini ætate suburbi-

stea, sed serò ac postremis demum temporibus esse diuisas, annues an negabis? Sed hunc ego locum, ne absurdus abs te aliquid exprimā, in præsentia non vrgebo. Hoc respondeas velim, cum è quatuor Prouinciis, quas Præfecto Vrbi assignabas, Latina regio nulla sit, Picenum sit extra Centesimum, Valeria nimis recens, Tuscia sit incerta, Præfectianam istam diœcesim, quam in his constituebas, quibus tandem ex Prouinciis conflaturus es? Nam frustra, vt vides, in his conquirendis hæctenus cum collega tuo laborasti. Et profectò, qui id quod nusquam est quærent, hoc nimirum agunt, vt multum sudando inueniant nihil. Quare casto atque irritò conatu abstine, si sapias. Præfectus Vrbi, quod sepe iterandum est, non prouincialis,

sed

sed urbanus fuit magistratus: nulla proinde illius diœcesis fuit, nullæ prouinciæ. Propria enim & præfecturæ iure illi congruens administratio vrbe Roma, Romani- que agri terminis finiebatur. Húc agrum quæ cingebant Prouinciæ, & quotquot omnino Cêtesimi partem aliquam attingebant, suos singulæ Rectores habebant, Consulares, Præsides, Correctores, quibus nihil commune fuit cum Præfecto Urbis; in Vicarij autem urbis erant potestate; vt ceteri omnes, qui reliquas eius diœcesis prouincias, hoc est suburbicarias ceteras administrabant. Denique vt intelligas Præfecto Urbis prouincias non fuisse commendatas, Symmachum audi lib. 1 x. epistola cxix. Disces enim non solum Præfecturæ Urbane oppositam fuisse pote-

D

statem, cui prouinciarum iura mādāta sint: sed Præfecti Urbis angustos adeo iurisdictionis terminos fuisse, vt Albam vsque non excurrerent. Scripta est epistola, (nam titulo caret) ad Vicariū Urbis, vt coniiicio, digna quæ priorem hanc dissertationem claudat, atque integra legatur. Ea est huiusmodi.

SYMMACHI EPISTOLA

LIB. IX. EP. CXIX.

SECUNDVM proxima ætatis exēpla, clarissimo & excellentissimo viro, fratri nostro Præfecto Urbis incestatę Primigenię virginis, quę sacra Albana curabat, à collegio nostro vindicta delata est. Sed quia litteris cuius causę probabiles asseruntur, quòd neque muros æternę Urbis tanti criminis reos fas sit intrare, neque ipse ad longinqua possit occurrere: cum

facinus ubi admissum est debeat expiari, necesse perspeximus, potestatem finitimam conuenire, & cui prouinciarum iura mandata sunt; ut in Primigeniam, que publicarum cerimoniarum maculauit arcana, corruptoremque eius Maximum, qui quidem flagitium non negauit, seueritas semper his adhibita exeratur. Dignaberis igitur, consideratis confessionibus, que nefandi tragædiam prodiderunt, iniuriam castissimi seculi reorum suppliciis vindicare.



ADVENTORIAE

PARS ALTERA, DE ECCLESIIS *suburbicariis.*

CAPVT I.

Suburbicarij notio, pro rerum ad quas refertur varietate, laxior est vel angustior. Quare falsum est Ecclesias suburbicarias latius patere non posse quàm prouincias. Suburbicariae Ecclesiae quanam essent, Rufini aetate notum erat. Synodus Nicena Episcopi Alexandrini diocesim definiuit, non Romanam. Aegypti vox non minùs ambigua, quàm suburbicarij.



V I circa regiones suburbicarias tam multis modis hallucinatus es, de Eccle-

D iij

clesias comprehendisse. Sensisti
 quã vim habeat hæc argumétatio.
 Itaque, ne te illa in angustias com-
 pelleret, tacitam dissimulasti. Et
 quasi confectum à nobis nihil ef-
 set, rem denuo arcessis à capite, ne-
 gasque suburbicarias Ecclesias di-
 ci alias posse, quàm quæ suburbi-
 cariis tuis prouinciis continean-
 tur. Vagum alioquin & ambiguum
 ais fore vocabulum, quod certas &
 statas Ecclesias non denotet, cum
 certam à Synodo ac definitam E-
 piscopo Romano diocesim adsi-
 gnatam fuisse non ambigas. Tua
 sunt hæc omnia, vt opinor. Vide
 tu, an ratiocinationis tuæ caput v-
 lum, quod ad rem faciat, præter-
 mittam. Quanquam hæc ipsa, quæ
 commemoravi, cum falsa ineptã-
 que sint, ad rem tuam quid faciunt,
 nisi vt te inertia in scitiaque con-

Pag. 48.
 Pag. 52.

demnent? Primum enim, quis tibi Grammaticorum assentietur, suburbicarij notionem pro rerum, ad quas refertur, varietate angustio-rem, laxiorémve esse non posse? Quæso te, Parisiensem præfecturam cum audis, eosdémne illius fines animo fingis, cum de Præto-
re Parisiensi agitur, eosdem cum de Episcopo, eosdem cum de Curia, supremoque tribunali Parisiensi? Insanus sis, si fingas. Cur igitur eadem intelligi aut concipi vis spatia, cum provinciæ, eadem cum Ecclesiæ suburbicariæ nominantur: & quod inde sequi necesse est, cur Episcopi Urbis, & Præfecti Urbis, & Vicarij Urbis, & aliorum, si qui ab Urbe nomé ducunt, eosdem potestatis, ac iurisdictionis terminos esse iubes? At suburbicaria, inquis, cum ex eo dicta sint,

quia circa Urbē, vel sub Vrbe erat, ad longinqua transferri non possunt. Equidem hoc à te scribi video, sed contra te, sed contra Coniectorem. Quid enim? An illum oblitus es, atque illius exemplo te, Umbriam, quæ Vrbi proxima est, de suburbicariarum numero expunxisse? Si suburbicariæ de urbis vicinia sunt dictæ, suburbicarium Picenum esse cur agnoscis, Umbriam negas, quæ Vrbi tamen vicina & propinquior est, quàm Picenum? Aut consentanea loqui discas, aut tace, & iis qui didicere, loquendi partes concede. Iam illud porrò quàm inane est, quod causaris, incertum & ambiguum fore, quas Ecclesias suburbicarias dicat Rufinus, si has etiam extra eius nominis prouincias accipi placeat? Quasi verò Rufini ætate suburbi-

cariarum Ecclesiarum obscurius nomen fuerit quàm Prouinciarum: aut quemadmodum Præfetti Urbis, & Vicarij Urbis potestas quos fines haberet, ignorari non poterat; ita Episcopi Romani specialis diœcesis quousque pertineret, exploratum itidem ac ratum non esset.

Sed erras vehementer, si aut Synodo Nicænæ, aut Rufino, qui Synodum interpretatus est, propositum id fuisse censes, vt Romanæ diœcesis partem vllam nominatim exprimeret. Adsignauit, inquis, Ægypti prouincias Alexandrino Episcopo: debuit ergo & Romano certas adscribere. Non poteras, quàm oscitanter Synodi verba legeris, aut quàm parum affectus sis, a pertiore indicio testari. Sic enim disputas, quasi eius canonis quæ fuerit occasio, aut cuius

gratia conditus sit, penitus ignores. Atqui ex Synodi ipsius ad Episcopos Ægypti epistola, quam libro 1. cap. 9. recitat Theodoretus, discere poteras, Meletiani schismatis causa editum fuisse, ob Meletium Lycopolis Episcopum, qui καὶ ἐκάστην χώραν, ut narrat Epiphanius hæresi LXXVIII. καὶ καὶ ἕταστον ἕκαστον διερχόμενος καὶ τίτα κληρικῶν, ἡπισκόπων τε καὶ πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων; καὶ ἀνοδοῦμαι ἐκκλησίας ἰδίας. Clericos passim, Episcopos, & presbyeros, ac diaconos instituebat, priuatasque seorsim Ecclesias erigebat. Quæ cum aduersus Episcopi Alexandrini iura tentari viderentur, motum antiquum retineri Synodus iussit, ut Episcopus Alexandriae per Ægyptum, Libyam, Pentapolim, summam habeat potestatem; variique modo & Antiochiæ, & ce-

teris in prouinciis sua Metropoli-
 tanis iura seruari. De Alexandrina
 ergo diœcesi quæstio cùm esset, è
 re fuit, ne quid obtendere Mele-
 tianis liceret, singulas illius partes
 percensere: Romanæ autem vel
 Antiochenæ diœcesis partes, de
 quibus nulla erat disceptatio, nihil
 attinebat commemorari. Quare
 frustra parem vtrarumque causam
 vis fuisse. Sed parem fuisse conce-
 damus. quid est quod de suburbi-
 cariarum apud Rufinum, quasi nõ
 satis aperta & distincta interpre-
 tatione nostra cauilleris? Quia Æ-
 gypti sollicitudinem, inquis, Ale-
 xandrinum Episcopum gessisse qui
 dicit, is non partem Ægypti, sed
 totam, nec plusquam Ægyptum,
 sed solam intelligit. In suburbica-
 riis verò nihil simile. Nam earum
 apud nos varia est significatio. Itá-

Pag. 32.

ne vero? In Ægypti voce nihil esse putas ambigui? Atque hoc reliquum erat, ut nescire te ostenderes, Ægyptum nunc totam diœcesim dici, quæ Libyam simul & Pentapolim amplectatur; nunc solam eius partem, quæ Ægyptus propriè est appellata? Quorsum enim à Synodo Ægyptus, Libya, & Pentapolis distinguuntur, si Ægyptus pro sola interdum diœcesis parte non sumitur? *Antiqui mores obtineât, qui sunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli, ut Episcopus Alexandrinus horum omnium habeat potestatem.* quorsum à Rufino sola Ægyptus commemoratur, si non alias etiam partes aliquando comprehendit? *Ut Alexandrinus Episcopus Ægypti, Romanus suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Sed profectò cautior te, atque intelligentior erat Rufinus.

Sciebat nimirum , & Aegypti & suburbicariarum ambigua esse vocabula : quòd vt Aegyptus nunc integra est diœcesis , nunc vna eius parstantùm ; ita suburbicariæ Ecclesiæ dici possint , tum eæ priuatim , quæ in Vrbe , Urbisque sint Episcopatu ; tû eæ item , quæ Proinciæ Romanæ ambitu contineantur ; tum eæ postremò , quæ solidam Episcopi Romani diœcesim & Patriarchatum constituent. Ceterùm in Nicæni canonis tractatione , vbi Aegyptus cum suburbicariis Ecclesiis , hoc est Alexandrina diœcesis cum Romana comparetur , quemadmodum dubitare non potuit Rufinus , quin Aegypti nomine Libyam quoque & Pentapolim ab eo comprehensam scirent omnes ; ita neminem adeo stupidum putauit fore , qui

suburbicarias Ecclesias aliud quàm totius Occidentis, (quoniam hæc specialis est Episcopi Romani diœcesis) Ecclesias omnes interpretandas censeret.

CAPVT II.

Synodus Calchedonensis quatuor Episcoporum gradus manifestè distinguit. Exarchos appellat non Metropolitas, aut Patriarchas, sed eos qui gradu inter utrosque interito diœceses integras regebant Exarchorum nominis varia usurpatio. Exarchi, præter legitimos, quidam ascititij & honorarij.

QVATVOR Episcoporū gradus in Synodo Calchedonenti designari, Episcopos videlicet singularum ciuitatum, Metropolitanos provinciarum, Exarchos seu primates diœceseon, & Patriarchas qui *Sp̄itibus* siue sedes

propriè dictas regebant, in Censura nostra docuimus. Reclamat Causidicus, & symmystarum suorum, qui hoc ante scripserant, præiudicio fretus, quanta potest voce contendit, tres duntaxat Episcoporum gradus in Ecclesia fuisse, nec plures tribus à Synodo commemorari. Nusquam pica nostra, quàm in hoc capite loquacior, nusquam petulantior, nusquam impotentior sui; vt mihi quidem visa sit inusitata quadam rabie hoc loco laborare. Sed ades tandem, si modò ad sanam mentem rediisti, quo argumento tres tantùm Episcoporum gradus vis esse? Ad eone pingui & crasso es sensu, vt quatuor numerare non possis? Synodus Calchedonensis Canone IX. de clericorum iudiciis sancit, vt si cui clerico lis fierit cum proprio, vel
cum

cum alio Episcopo, πρὸς τὸ ἴδιον, ἢ
 καὶ πρὸς ἕτερον ἐπίσκοπον, à prouin-
 cia Synodo iudicetur: si autem cū
 ipsius prouinciæ Metropolitanō,
 πρὸς τὴν αὐτῆς ἐπαρχίας μητροπολί-
 τῶν, Episcopus aut clericus con-
 trouersiam habuerit, aut diœce-
 seos Exarchum adeat, aut sedem
 regiæ urbis Cōstantinopoleos, ἢ τὴν
 ἑξάρχου τῆς διοικήσεως, ἢ τῆς βασιλευ-
 σης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον. Dic so-
 des, Episcopum, Metropolitanam,
 Exarchum diœcesis, & θρόνον siue
 sedis Archiepiscopum Patriar-
 cham, quot numero esse censes?

Sirmondus, inquis, quatuor esse
 putat, ego tres tantum modo. Quid
 ita? Quia Exarchus idem est ac Pa-
 triarcha. Proinde Synodum sic in-
 terpretor, ut clerici vel Episcopi
 cum Metropolitanō controuer-
 siam Exarcho diœceseos, hoc est

P. 66 67
 68. 69.

E

Patriarchæ dirimendam permit-
 tat. Quid ineptius? quid infulsius?
 quid à Synodi mente alienius fingi
 vel excogitari queat? Nam si cùm
 AVT EXARCHVM, AVT PA-
 TRIARCHAM Synodus dicit,
 vnum atque eundem dicit, quid
 restat, nisi vt cùm in eodem Cano-
 ne PROPRIVM, AVT ALIVM
 EPISCOPVM distinguit, itemque
 EPISCOPVM AVT CLERICVM,
 nulla tamen inter hos tuo iudicio
 sit distinctio: sed vnum idemque
 sit proprius Episcopus quod alie-
 nus, idem clericus quod Episco-
 pus? Deinde si ista inter se non di-
 screpant, non iam vides, quàm ab-
 surda ex hoc genere consequan-
 tur? vt quoniam eum qui loquitur,
 aut vera, aut falsa loqui necesse est,
 vtrum de te affirmem nihil inter-
 fit: & quoniam aut stultus aut fa-

piens, dum hæc scribis, videri fortasse possis, vtrum de te potiùs credi malis, quia stultum à sapiente non discernis, pensi habere nihil debeas? Quæ vbi admiseris, quis amicorum vicem tuam non dolebit? Sed operæpretium est tamen, quibus auctoribus Exarchos Patriarchas interpreteris cognoscere. Græcis, inquis. quibus enim potius? Zonaras quippe testatur, Exarchos dicæceseon à quibusdam, exponi Patriarchas, ab aliis Metropolitanis, ἐξάρχους δὲ τῆς διοικήσεως τοῦ Πατριαρχῆος φασίν. ἄλλοι δὲ τοὺς Μητροπολίτας. Ita nimirum Græcos paraus es, si quid rectè sapiūt, aspernari, vbi errant, amplecti. Hic enim vtramuis partem sequare, par error est. Nam si Exarchos Metropolitanis dixeris, redarguet te Synodus ipsa, quæ à Metropolitanis di-

P. 67

stinguit. Sin Patriarchas, ita vt à primarum sedium Rectoribus non distinguas; iis ipsis, quæ iam dixi, refellere. Quanto verò consultius, quando Græcos audire placet, Zonara, qui te, vt vides, nihil iuuat, relicto, Balsamonem audisses? Is enim te quinquam à Synodo Exarchi vocentur ignorare passus non esset. Vel nunc ergo tãdem ausculta, ὁ κἀὐτοὶ ἑξάρχος τῆς διοικήσεως ἐστὶν ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἔχ' ὁ ἐκείτης ἐπιτῆχίας μητροπολίτης, ἀλλ' ὁ τῆ ὅλης διοικήσεως μητροπολίτης. διοικήσεις δὲ ἐστὶν ἢ πολλὰς ἐπιτῆχίας ἔχουσα ὡς ἑαυτῆ. Exarchus, inquit, diæcesis est, vt mihi quidem videtur, non vniuscuiusque prouinciæ Metropolitanus, sed Metropolitanus totius diæcesis. Diæcesis autem est, quæ multas in se prouincias continet. Quid dici potuit explicatius? Vt Episcopi, qui vnicuique prouinciæ præest, proprium nomen Metropolitanus; sic Me-

ropolitani, cui multarum prouin-
 iarum diœcesis subiecta est, pro-
 prium est nomen Exarchus. Quo
 x genere in primis fuerunt Cæsa-
 ræ Cappadocum Metropolita-
 us, qui Ponticam diœcesim rege-
 rat; & Ephesinus, qui Asianam.
 Propterea Exarchi diœceseon ap-
 ellabantur: vt in Synodi vi. sub-
 criptionibus epistolæ ad Agatho-
 ē: Φιλελήθης ἐπίσκοπος τῆς Καισαρείων
 ἡ πόλεως τῆς Καππαδοκίᾳ ἐπιείχιας,
 ἢ ἕξαρχος τῆς ποντικῆς διακρίσεως. Phi-
 lethes episcopus Casariensium Me-
 tropolis, primæ Cappadocum prouincia,
 ἢ Exarchus Pontica diœcesis. Θεόδωρος
 ἐπίσκοπος τῆς Εφεσίων μητροπόλεως, ἢ ἕ-
 αρχος τῆς Ἀσιατικῆς διακρίσεως. Theodo-
 us episcopus Ephesiorū Metropolis, ἢ
 Exarchus Asiana diœcesis. Quot deniq;
 pud Græcos diœceses fuere, tot
 Exarchi. Vnde & Orientalis quo-

que diœcesis exarchus, ἑξάρχος τῆς αἰαβελικῆς ἐπισκοπῆς, in eadem Synodo Calchedonenſi Actione xiv. dictus legitur Patriarcha Antiochenus. non quòd is aliud nihil eſſet quàm exarchus, tertiusque epiſcoporum gradus à quarto non differat. minimè verò. ſed quia Antiochia, cui præerat, caput erat & Metropolis Orientis. Et epiſcopus Alexandrinus eodem modo exarchus Ægypti appellari iure poterat, quia Præful erat, vt Theodoſij ad Optatum Auguſtalem lex loquitur, omnium per Ægypti diœceſim ſacerdotum. Quãquam enim nomen exarchi, quod quidem, ſi vim vocis conſideres, eum qui quaque in re præſit ac principem locum teneat, ſignificat, cùm ad eccleſiaſticas dignitates tranſfertur, nunc huic, nunc illi accom-

dari possit; vt cum in Synodo Sardicensi Can. v. *Ἐξάρχος τῆς ἐπιτοχίας*
 Exarchus prouinciæ, pro Metropolitanò ponitur : & apud Eua-
 grym lib. 1 v. Historiæ Eccles. c.
 41. Episcoporum Exarchi, *ἰσχυροὶ τῶν
 επισκόπων ἑξάρχαι*, vniuersè appellan-
 tur, quicumque subditos habent
 episcopos. Quanquam etiam po-
 tremis imperij Constantinopoli-
 ani sæculis, quod ex Georgio Co-
 lino, & Græcorum Notitiis con-
 tat, Exarchi vacuum nomen, tan-
 quam codicilli sine re, multis Me-
 tropolitanis honoris causa com-
 municatum est, qui diœceses re-
 vera vel nullas vel integras non ha-
 bebant, vt Ancyrano, vt Cyzice-
 io, vt Nicomediensi, vt Nicæno,
 vt aliis permultis. Nihil tamen hæc
 efficiunt, quo minus Exarchi olim
 propria notione sint dicti, qui

solidas multarum prouinciarum
 diœceses regebant, atque hoc sen-
 su in Synodi Calchedonenſis Ca-
 none, vt Balsamon docuit, acci-
 piendi ſint. Quin etiam idem au-
 ctor eſt Balsamon, extitiſſe ſua
 etiam ætate veteres illos diœce-
 ſeon exarchos, ſed antiquis priui-
 legiis caruiſſe. quod verum eſt.
 Perſeuerarunt enim ex hoc nume-
 ro exarchus Ponticæ diœceſis, Epi-
 ſcopus Cæſarienſis; exarchus Aſia-
 næ, Ephelinus; exarchus Thracicæ,
 Heraclienſis: atque hoc inter aſci-
 titios exarchos, qui poſtea id no-
 men adepti ſunt, velut priſcæ di-
 gnitatis inſigne veſtigium retinue-
 runt, quòd duo priores ἱερωτικῶν
 καὶ ἱεροπολιτικῶν καὶ ἐξάρχων, tertius
 πατριάρχης καὶ ἱεροπολιτικῶν, καὶ ἐξάρχος
 nuncupati ſunt, cùm cæteri ſub-
 dititij, ἱερωτικῶν καὶ ἐξάρχων tantum-
 modo vocarentur.

CAPVT III.

Patriarche propriè dicti non plures quàm quinque. Patriarcharum nomen aliquando commune fuit etiam Exarchis, postea primariis tantum sedibus tributum: semper tamen inter hos gradus fuit discrimen. quare merito distinguuntur. Exarchorum in Oriente iura ad Constantinopolitanam sedem fere translata.

DE Exarchis Græcorum quidnam & numero quot fuerint, dictum est abundè. sequitur vt de Patriarchis, eorùmque diocesisibus dicamus: vt hoc etiam ex capite alios tertij, alios quarti ordinis Episcopos fuisse non ignores. Quot igitur legitimos in Ecclesia Patriarchas habitos olim putas esse? Quinque omnino fuerunt. Quid rides? An quia Patriarcha-

rum turbam animo tibi finxeras, & Italiam, Galliam, Africam, Orientem quoque ipsum peragras, ut Patriarchas quæres, atque ubi nulli erant, tute ipse novos & inauditos excitares, idcirco Patriarchas tibi omnes fuisse dabimus, quos hariolaris? quis de Patriarcharum numero grauior, certiorque esse potest auctor, quàm Iustinianus? Is quinque omnino Patriarchas fuisse docet, tum vbi que passim, tū disertè Nouella cxxiii. *Κελθὺο μὲν, ἰνκὺιτ, ποὺὲ μακαριωτάτοις Ἐπισκοποῖς ἔ πατριάρχα, πὺτέσι τῆς παρεσβυτέρας Ρώμης, ἔ Κωνσταντινουπόλεως, ἔ Αλεξάνδρειας ἔ Θεουπόλεως, καὶ Ἱερουσολύμων, ἐν τῇ αὐτῇ χριστιανία τῶν παμῶντων πῶρ ἔχον, ἀπὸρ ἡ σικωήθηα γινώσκῃ.* *Iubemus ut beatissimi Archiepiscopi ἔ Patriarcha, hoc est senioris Romæ, Constantinopolis, Alexandria, Theopolis, ἔ*

Hierosolymorum, in ordinatione sua ea solum praebeant, quae preberi mos est. Evolve Nouellas omnes, & quicquid in Græcia librorum est post Iustinianum, cuius potissimum ævo Patriarcharum nomen inter Ecclesiasticas dignitates frequentari cœptum est, nusquam Patriarchas, nisi hos quinque, agnitos reperies. Quid apud Latinos, an plures fuerunt? Anastasium audi Bibliothecarium in Epistola, quam Synodo VIII. præfixit ad Hadrianum Papam II. Cùm Christus, ait, in corpore suo quod est Ecclesia tot Patriarchales sedes, quos in cuiusque mortali corpore sensus locauerit, profectò nihil generalitati deest Ecclesie, si omnes ille sedes vnius fuerint voluntatis. Vide nunc, quas in angustias redactus sis. aut docendum est tibi, sensus in corpore plures esse quàm quin-

que, aut confitendum Patriarchas, Orientis, Occidentisque consensu, plures hoc numero non fuisse. Verum ego te, ut respices tandem, in his angustiis versari diutius non finam. Patriarcharum nomen Exarchis olim, id est tertio Episcoporum ordini, tributum aliquando fuisse non inficio, tempusque adeo extitisse, quo Patriarchæ ab Exarchis diuersi apud Græcos non essent. quis hoc nescit? Vexas te, ut hoc doceas, nec aptè quicquam probas: cùm facilius nihil fuerit, quàm id certis documentis ostendere. Quid enim? An non aperte Socrates libro v. Historiæ Eccles. cap. viii. Diœceses Thracicam, Ponticam, Asianam, Ægyptum, & Orientem, *πατερσρχίας* Patriarchias appellat, & Patriarchas in singulis à Synodo Constantinopoli-

tana constitutos scribit? An non in Synodo ipsa Calchedonenſi, cùm Actione 11. perpoſitum eſſet à Iudicibus, vt *πατριάρχαι ἐκείνης ἐπιδήσεως*, vniuſcuiuſque diœceſis Patriarchæ, vnum aut alterum ſibi ex ſua quiſque diœceſi ad componendam fidei formulam adſciſcerent; in Actione v. vbi hæc formula conſcripta eſt, delecti ex Orientali, Pontica, Aſiana, Thracia, & Illyrico leguntur: vt appareat in his ſingulis diœceſibus, atque in Ægypto, quam omittit, ſingulos fuiſſe Patriarchas? Patriarchæ igitur iidem aliquando fuere, qui Exarchi. habes quod optabas? Quid tum verò? An eo factum putas, vt iidem ſemper fuerint, aut tum etiam cùm iidem erant, tres tantùm in Eccleſia, & non quatuor Episcoporum gradus nume-

rati sint? Falleris. Etenim vt Papæ nomen apud Latinos omnium primum Episcoporum nomen fuit; postea proprium & peculiare illius factum est, qui Episcopus est Episcoporum: sic Patriarchæ nomen, quod commune aliquando fuerat cum Exarchis, ad eos postea solos translatum est, qui Ecclesiæ primarias quinque sedes regunt. Cæterum vt Romanum inter Pontificem, & reliquos Episcopos, qui tum Papæ, sicut ille, vocabantur, magnum semper fuit apertumque discrimen: ita iidem isti principum sedium Antistites, tum etiã, cum Patriarchæ soli nondum vocabantur, ab iis tamen qui in tertio erant ordine Patriarchis & Exarchis distinguebantur, iisdemque honoris & dignitatis gradu præcellerant, & quartum, velis,

nolis, Episcoporum ordinem con-
 tituebant. Nisi fortè adeo rerum
 omnium es expertus, vt Cæsariensis,
 ut Ephesini Episcopi, qui Exar-
 chi diœceseon suarum fuere, pa-
 cem vnquam cum Antiocheno, vel
 cum Alexandrino in ecclesia au-
 toritatem credas fuisse: ac frustra
 in Synodis œcumenicis primo
 semper loco quinque Archiepi-
 scoporum, quos dixi, tum deinde
 Cæsariensis, Ephesini, & reliquo-
 rum Exarchorum subscriptiones
 agnoscas, quòd nullū inter vtros-
 que discrimen fuisse arbitreris. Sed
 abes tamen, quo duce pugnes,
 vincasque, immo triumphes, cum
 eodem ipsum Imperatorem Iustinia-
 num. Quid faciemus, inquis, Iusti- P. 60.
 ano, qui passim in Nouellis *πα-* P. 60.
ράρχας ἐκείνης διοικήσεως, vnius- P. 60.
 iusque diœcesis Patriarchas ap- P. 60.

pellat? Quid factururus sis, rogas? Dabis operam, si sapias, ut illum rectius intelligas. Nam cum turpe sit caudidico, sine lege loqui, tum multo certè turpius, quam legem ipse laudat, eius vim sententiã-
quenescire. Tu, quia Patriarcharum diœceses à Iustiniano commemorari vides, idcirco Patriarchas Iustiniano ab exarchis diuersos non fuisse suspicaris. Quasi quos Patriarchas intelligat Iustinianus, obscurum esse cuiquam possit post Nouellam cxxiii. in qua quinque in vniuersum nominatim expressit. Quanto igitur congruentius erat, te, cum de quinque Patriarcharum numero constaret, quo sensu horum quinque diœceses dixerit inuestigare? Animaduertisses enim, quod ista tua insigni & eximia sapientia, præ qua
qui

qui aliter sentiant stulti, vani, falsi
 tuo iudicio sunt omnes, nondum
 ut video deprehendere potuisti,
 Iustinianum, cum in Patriarcha-
 rum mentione Patriarcharum dice-
 ceses nominat, non proprias Exar-
 chorú diceceses intelligere, (tamet-
 i harú nulla erat, quæ Patriarcha-
 rum alicui non pateret,) sed ro-
 mam Patriarchiæ vniuscuiusque
 amplitudinem, quantacumque illa
 erat; seu veram aliquam dicecesim
 obtineret Patriarcha, sicut Ale-
 xandrinus & Antiochenus; seu
 partem tantum dicecesis, ut Hie-
 rosolymitanus; seu multas simul
 diceceses, ut Constantinopolita-
 nus, & Romanus. Nam de Roma-
 no quidem Patriarcha notum est,
 cum Occidentem vniuersum eius
 dicecesis complexa sit, omnes il-
 lam Occidentis diceceses occupas-

se. De Constantinopolitano docet Synodi Calchedonensis Canon xxviii. in Patriarchica eius diœcesi tres solidas diœceses, Thraciam, Ponticam, & Asianam comprehensas fuisse. Fuerunt igitur Patriarchis singulis suæ diœceses, sed diuersæ à diœcesibus Exarchorum: nec malè aut impropriè, vt nugaris, locutum ducimus Iustinianum, sed malum te atque imperitum eius verborum interpretem, qui Patriarcharum diœceses quas diceret non intellexisti. Ne hoc quidem, quod ingenio & solertia tua dignum erat, examinasti; quî factum sit, vt cùm quatuor olim Episcoporum gradus essent, & Exarchos à throno Patriarchali tam apertè Synodus distinguat; tres tantùm fere gradus à Iustiniano, Græcisque post illum scriptoribus

numerari soleant, Patriarchæ, Metro-
 politani, & Episcopi, vt etiam
 à Maximo in Disputatione cum
 Pyrrho, cùm Synodum appellari
 posse negat, quam Pyrrhus & Ser-
 gius conuocarant, in qua *οὐσαπιχαὶ*
οἱ σωελθόντες οὐκ εἶχον, οὔτε οἱ ἐπίσκοποι
ἀπὸ τῶν μητροπολιτῶν, οὔτε οἱ μητροπολί-
ται ἀπὸ τῶν πατριαρχῶν. *Commendati-*
tias non habuissent qui conuenerant, nec
Episcopi à Metropolitanis, nec Metro-
polita à Patriarchis. Obseruasses enim,
 quod te vel nunc saltem condisce-
 re necesse est, Exarchorum ordi-
 nem in Oriente, dum adstruitur &
 amplificatur Constantinopolita-
 næ sedis auctoritas, suis spoliatum
 priuilegiis propemodū exoleuif-
 se. Nam cùm extra patriarcharum
 sedes positæ tres potissimum es-
 sent diœceses, Thraciæ, ponti, &
 Asiæ, hæ omnes Constantinopo-

litani patriarchæ diœcesi attributæ fuerant ; & quæ iura in his olim fuerant Exarchorum , omnia ferè ad illum translata ; vt iudicia Ecclesiastica , Synodi Calchedonensis Can. 1x. & xv 11. & ordinationes Metropolitanorum Can. xxv 111. Formatarum etiam ius , de quo Maximus , & alia id genus. Quo factum , vt Exarchis in Metropolitanorum penè ordinem redactis , atque omni antiquo splendore destitutis , eorum deinceps habitatio non fuerit , vix nudo illis Exarchorum nomine relicto , quod cum inani honoris titulo , vt proximo capite dictum est , ad vltima vsque tempora conseruarunt.

CAPVT IV.

*Sedes & ἑρῶνοι, proprie & κατ' ἐξοχὴν dicti
quinque Patriarcharum. Episcopum Ro-
manum Primatem ex aduersarij placitis re-
ctè appellari. Discrimen inter civiles & Ec-
clesiasticas administrationes. Africa olim
unica Ecclesie prouincia: post multa, quarum
primas Episcopus Carthaginiensis. Primates
Occidentis dicti etiam interdum Patriarchæ:
omnes tamen diuersi ordinis, & longo semper
interuallo post Romanum.*

MIRARIS porro, & cur dice-^{P. 64. 65. 66.}
re ausus sim quæris, *ἑρῶνες*
siue sedes, proprie κατ' ἐξοχὴν di-
ctas & fuisse quinque sedes patriar-
charum. Ego verò mirum hoc tibi
visum esse non miror, qui te mirari
omnia videam, quæ nescias. Miror
potius ea nescire te, quæ vel pueri
norunt. Metropolitanorum, in-

„ quis, *ἑξοί* etiam dicuntur. addere
 poteras, & Episcoporum: quis e-
 nim Episcoporú Cathedras igno-
 rat? Quid ergo cōcludis? Dicit *κατ'*
 „ *ἑξοχλὺ* non posse patriarcharum.
 „ Et hoc putas sine risu audiri à quo-
 quam posse? Nam contrà potiùs
 colligere debueras, idcirco sedes
κατ' ἑξοχλὺ has quinque meritò ap-
 pellatas, quia plurimæ aliorum se-
 des cùm essent, hæ omnium pri-
 maria ac principes erant. Quæro
 enim, Romámne credas *αἰτωνμικᾶς*
 dici urbem posse, si præter Romam
 vrbes aliæ nusquam essent: aut
 poëtarum principem Maronem, si
 poëta Maro solus esset. Quòd si
ἑξοί κατ' ἑξοχλὺ, aut sedes appella-
 ri non solebant quinque patriar-
 chales, nesciuit profectò quas se-
 des diceret Gelasius papa, cùm de
 Constantinopolitana Ecclesia his

verbis scriberet ad Dardanos Epistola xi. *Si de dignitate agitur ciuitatum, secunda sedis ac tertia maior est dignitas sacerdotum, quàm eius quæ non solùm inter sedes minimè numeratur, sed nec inter Metropolitanorum iura censeatur.* aut cùm in alia epistola nondum edita sic alloqueretur Episcopos Orientales: *De suis vrbus Catholicus pellebatur Episcopus, non solùm Metropolitanus, sed etiam secunda & tertie sedis Antistes.* Malè etiam, atque improprie Liberatus Diaconus Breuiarij capite xviii. de Ioanne Alexádrino loquens, alias sedes absolutè dixit alias patriarchales, vt nõ sine causa interpretationem ipsemet, ne ambigeremus, adiecerit. *Qui & ipse, inquit, secutus Petrum & Athanasium precessores, in edicto vnitiuo communicauit cum aliis sedibus, id est Constantinopolitana, & Antio-*

chena, & Hierosolymitana. Nugatur
 denique inter Græcos, ne Latini
 soli desipiant, Syncellus ille Hiero-
 solymitani Patriarchæ legatus,
 in Synodo VIII. qui πατριαρχικός,
 quas vocat, κεφαλαίς Ecclesiæ Dei,
 θεότοις vocat. Τοιγαροῦ τῆ πατριαρχικῆς
 ἑκκλησίας τῆς Ῥώμης μηδαμῶς ἀπιδόξα μὲν
 τὸν Φώτιον, μηδὲ μίση τῆς ἀνατολικῆς
 πειρῆς ἑκκλησίας, τῆς Ἀλεξανδρείας, ἔ
 Ἀντιοχείας, τῆς Ἱεροσολύμων. Ὅτι καὶ χρεία
 μετακαλεῖσθαι αὐτὸν εἰς ἐξέτασιν καὶ ἀνά-
 κρισιν. Quapropter cum Romana Ec-
 clesie prima sedes Photium non receperit,
 neque tres Orientis throni, Alexan-
 drinus, Antiochenus, & Hierosolymi-
 tanus, non opus erat eum in questionem,
 & iudicium denuo vocari. Satisne ve-
 rò ex istis liquet, an alios testes re-
 quiris, ut discas nunc tandem, θεό-
 τοις siue sedes proprium κατ' ἐξο-
 χλὴν, & peculiare nomen fuisse Pa-

triarcharum, non etiam, ut garris, Metropolitanorum, cum in ipsis Gelasij verbis videas sedium Episcopis opponi Episcopos Metropolitanos?

Pag. 65.

Quam ineptum præterea *ἄνοιουσίας* tuæ specimen fuit tota illa, quam subiicis, de Primatibus dissertatio? Quam qui legunt harum rerum rudes & ignari, te in tanta tui fiducia & loquacitate aliquid fortasse sapere existimant: qui acriore sunt iudicio, statim intelligunt, te & pugnare tecum turpiter, nullaque ex parte cohærere quæ dicis, & cum multa temerè effutias, nihil tamen ad rem loqui, denique meros Simonidis logos, esse quos fundis. Primùm enim, quis Episcopum Romanum Primatem ante me dixerit cur rogas, cum Mediolanensem ipse Primatem voces, quem Primatem præter

Pag. 54.

te nullus vnquam appellauit? Nam si Mediolanensem Episcopum, quia multis olim ciuilibus prouincijs præerat, Primatem ingratijs vis esse: Romanum, qui tua & Cōiectoris tui opinione suburbicarias omnes prouincias regebat, si non Italiae, at suburbicariarum certè Primatem fuisse cur negas? Deinde cùm Primates à Patriarchis non distinguas, & Primates diœcesum rectores dictos velis; quî conuenit, vt Episcopo Romano & diœcesim intra centesimum, & Patriarchæ nomen tribuas, Primatis non concedas? Nos enim, ne ad scopulos istos tecum hæreamus, facilè prouidemus, qui Primates in Ecclesia eos esse & dici posse censemus, qui multas sibi, non ciuiles, sed Ecclesiasticas prouincias subditas habeant. Vnde Mediolanen-

sem Episcopum, quem in Primatum numero collocasti, Primatem negamus fuisse: quia licet multarum ciuiliū prouinciarum Episcopis præesset, omnes tamen hæ prouinciæ vnica eius Ecclesiasticam prouinciam constituebant. Et Romanum iure Primatem dici posse arbitramur, non suburbicariarum tuarum, quæ omnes in vnica Romanæ Metropolis prouincia continebantur: sed Italiæ, quòd in Italia prouinciæ multæ & Metropoles cùm essent, ad vnã omnes diœcesim Ecclesiasticam pertinebant, cuius caput & rector, hoc est primas, erat Episcopus Romanus. Erras enim, & vehementer erras, si nullum inter ciuiles & Ecclesiasticas, vel prouincias, vel diœceses discrimen facis. Nec erras modò, sed tuo ipsius, & canonum

omnium sententia confutaris. Etenim si pro ciuiliū administratio-
num modo ac numero ecclesiasti-
cæ censendæ sunt, quî factum vt in
Gallia, vbi diœcesis olim vnica
fuit, primates sint multi? aut cur in
Britannia Insula cūm prouincias
quinque ciuiles fuisse consentiant
omnes, ecclesiasticas quinque
numerat nemo? Quid in Africa, an
ignoras Cypriani æuo vnicam fuisse
prouinciam, quæ Numidiam
etiam & Mauritanias duas com-
plecteretur? Docere te Cyprianus
ipse poterat, tum in epistola XL. vbi
prouinciæ suæ Episcopos vocat
omnes, qui cis mare positi erant;
tum disertè in XLV. *Latius*, inquit,
fusa est nostra Prouincia, habet etiam
Numidiam & Mauritanias duas sibi
coherentes. Vnde & in Synodo Car-
thaginensi de hæreticis baptizan-

dis, Episcopi, qui ex Africa, Numidia, Mauritania conuenerant, non ex pluribus prouinciis, sed ex vna conuenisse prouincia dicuntur. Vna ergo Ecclesiæ Africanæ prouincia tum erat, cùm ciuiles essent iam multæ. postea Ecclesiasticæ etiam plures fuerunt: quarum singulis qui præerant, primæ sedis Episcopi vocabantur, id est Metropolitanis. Horum autem omnium caput, hoc est totius Africanæ prouinciarum Primas, tua etiam cõfessione, Episcopus erat Carthaginensis, Pag. 78. idem videlicet qui prouinciæ vniuersæ præfuerat, cùm vnica tantum esset. Hæc enim Primatum est origo. nam Primas quid est aliud, quàm multarum prouinciarum caput? Itaq; Carthaginensis Antistes Africanæ reuera Primas erat, & totius. Africanæ concilio præerat,

vt Iustiniani ad Salomonem Nouella testatur. eoque nomine, quod animaduersione tua dignum est, inter Exarchos seu Primates per legatum subscribit Reparatus Carthaginienſis in Synodo v. generali.

Pag. 56 57. li. Quæ cum ita ſint, an non falſum eſt, quod ſcripſiſti, Primates apud Afros ſecundi tantum ordinis epiſcoporum gradum fuiſſe, non etiam tertij? Sed vereor ne dum ineptias tuas gradatim perfequor, non tibi ſolum, ſed aliis etiam moleſtus eſſe incipiam. Quare ad rem venio, ſi tamen ad rem vllam faciunt quæ ſcribis. Quorſum enim hæc a te inſtituta eſt de ſingularium gentium Primatibus diſputatio? Vt refellas, opinor, quod dixeram, è quatuor Epiſcoporum gradibus, qui à Synodo Calchedonenſi deſignantur, tertio fuiſſe lo-

co Exarchos seu Primates, quarto Patriarchas. Tu ergo, quin rectè cum Exarchis Primates comparati sint, repugnare non audes, iidem enim sunt: sed malè ab vtrisque distingui censes Patriarchas, cùm eisdem credas fuisse. Nos verò nec de Exarchis inficiati antea sumus, nec de Primatibus nunc abnuemus, quin Patriarcharum etiam nomen illis aliquãdo tributum sit. Quis nescit & Lugdunensem, qui Galliarum Primas dicitur, & Bituricensem, qui Aquitaniæ, Patriarchas passim nuncupari? Sed quemadmodum de Exarchis Orientis proximè ostensum est, illos tum etiam cùm Patriarchæ appellabantur, à primarum sedium Archiepiscopis diuersos fuisse, quibus solis deinceps Patriarcharum nomen concessum est: ita in Occidente

certum est, tametsi è Primatum numero nonnulli Patriarchæ nomen honoris causa vsurparint; longo tamen interuallo semper abfuisse à sedis Apostolicæ Antistite, qui vnus illorum, ac totius Occidentis verus Patriarcha fuit. Alioqui si præter Romanum alij in Occidente legitimi habiti sunt patriarchæ, quid Iustiniano respondebis, qui Patriarchas, vt audisti, quinque omnino esse docuit? quid Anastasio, qui Patriarcharum numerum humani corporis sensuum numero circumscripsit? Quid Theodoro Lectori in his verbis è libro II. πρώτων τῶν ἄλλων πατριαρχῶν, ὡς λέγει, σωματισάντων τῷ ἰωακίμῳ τῷ Ζωνῶνος, μένος Φηλιξ ὁ Ῥώμης οὐκ ἐπειρώτησεν. Cùm alij Patriarchæ omnes hereticum Zenonis approbasse dicerentur, solus Felix illi non communicauit. An Patriarchas

triarchas illum dices alios in Occidente finxisse præter Romanum? Quòd si Lugdunenses & Bituricenses Episcopi Patriarchæ ideo rectè tuo iudicio appellari videntur, quia Primates; cur Patriarchas dici Senonenses non placet, quibus primatum in Ansegiso, & quidem per Galliam & Germaniam, à Ioãne VII. Papa delatum, testis est Synodus Pontigonensis? An Senonenses fortasse, quòd à sede Apostolica id iuris adepti sint, Primates dici non probas: Aquileienses contrà, quoniam excusso Romanæ sedis imperio schisma fecerunt, & Patriarchæ nomen, vt *αὐτοκράτωρ* viderentur, vsurparunt, iure factos Patriarchas arbitraris? Verùm ego quo iure, quaque iniuria, Patriarchæ vllivnquam in Occidente appellati sint, non disputo: hoc te

G

iubeo meminisse, Patriarcham ex eo numero nullum vnquam sibi tantum arrogasse, vt se vnus eiusdem cum Episcopo Romano gradus & ordinis esse cogitaret: infanumque & amentem videri oportere, qui de illis aliter sentiat, cum Reparatum ipsum videat Carthaginensem Episcopum, quo nullus certè inter Occidentis Primate vel vrbs dignitate, vel diœcesis amplitudine potior fuit, sua sedi Apostolicæ accepta ferre priuilegia, & pro his redintegrandis apud Agapetum Papam laborare, vt Agapeti Epistola 11. declarat. Cùm ergo Primate huiusmodi, vel Metropolitanos, quamuis Patriarchæ interdum nominentur, à veris Patriarchis diuersos, & inferioris gradus fuisse liqueat, quid nodum in scirpo, quod aiunt, aut tenebras in

media luce quæris, vt distinctos
Episcoporum ordines confundas,
& cùm de re ipsa constet, de nomi-
ne tergiuerferis?

CAPVT V.

*Patriarcha in Occidente κατ' ἐξοχὴν solus
Pontifex. Specialis eius diœcesis Occidens,
pars vniuersalis. Suburbicaria, & Romana,
& Occidentis Ecclesie, cùm de Patriarchatu
Romano agitur, eadem sunt. Græci ante schis-
ma supremam in vniuersa Ecclesia Pontificis
Romani potestatem agnouerunt.*

RELIQUA est Causidici de Pa-
triarchatu Occidentis alter-
catio. in qua facundus & facetus
homo, nullos ingenij, eloquentiæ-
que suæ neruos non intendit, ar-
gutias etiã, & patrios sales adspersit,
vt doceat malè Papam Occi-
dentis Patriarcham appellari, malè

specialem eius diœcesim Occidentem dici, malè suburbicarias Rufini Ecclesias ad Occidentales omnes Ecclesias transferri. Et non videt acutus orator, si quinque duntaxat in Ecclesia sunt Patriarchæ, quinque primariæ sedes, siue *Θεῖοι*, vt multis iam antè probatum est, si quinque *πατριαρχικὰ κεφαλὰ*, vt Syncellus ille in Synodo viii. loquitur, quinque Apostolicæ cathedræ, vt ipsemet professus est, quinque *κατ' ἐξοχὴν* Archiepiscopi, vt Conciliorum fere omnium subscriptiones testatur; atque horum quinque omnium consensione quatuor sunt in Oriente, consequens esse vt quintus totum obtineat Occidentem. Quòd si Occidentis Patriarcha est Pontifex, quid restat, nisi vt specialis, hoc est patriarchica eius diœcesis sit Oc-

cidens, sicut Alexandrini Patriarchæ diœcesis est. Ægyptus? Et de Rufino, cùm in Nicæni Canonis expositione suburbicarias Ecclesias ab Episcopo Romano regi scripsit, si omnes patriarchicæ huius diœcesis Ecclesias completi voluit, quod tuus ipse Coniector affirmat, quis tam vecors, aut amens, ut non sentiat quid necessariò consequatur? Quid ergo salebras in plano quæris? & caliginem tute tibi, ne lucem videas, offundis? Patriarchæ, inquis, in Occidente præter Romanum dicti sunt alij, & dici etiam plures potuerunt. Quid inde? Non hîc illos quærimus, quibus Patriarchæ nomen indulgentiis aliquando concessum est: de iis quinque sermo est, qui patriarchæ κατ' ἐξοχῶν appellati sunt, quos solos patriarchas agnouit Iustinia.

nus, à quibus Ecclesia ut *πεντάθετος*
τος, & *πενταρχικός*, sic dici etiam po-
 tuit *πενταπατείαρχος*. Huius ordinis
 ac numeri Patriarcham, quis vn-
 quam alium in Occidente finxit
 præter Romanum? Solus ergo Pa-
 triarcha Occidentis Pontifex. cu-
 ius proinde specialem diœcesim
 Occidentem dicimus, quatenus
 hæc à reliquorum Patriarcharum
 diœcesibus distinguitur: cum vni-
 uersalis eius diœcesis, quam ut Pō-
 tifex administrat, non Occiden-
 tem solum, sed Orientem simul,
 Ecclesiamque vniuersam comple-
 ctatur. At specialis, inquis, Episco-
 pi Romani diœcesis dici Occidens
 non potest, quem partem esse vni-
 uersalis satis constat, sicut Libye
 pars erat Ægyptiacæ diœceseos,
 quæ ab Alexandrino Episcopo re-
 gebatur. Quæso te, vigilasne, cum

P 90.97 ,,

,,
 ,,
 ,,
 ,,
 ,,
 ,,
 ,,
 ,,

hæc scribis, an somnias? Pro Libya dic Ægyptum, & senties quam vim habeat argumentatio. Nam sicut Ægyptus specialis est Prouincia Episcopi Alexandrini, eademque pars totius diœcesis Ægypti, quæ præter Ægypti prouinciam, Libyem quoque ac Pentapolim cõplexa est: sic Occidens specialis est diœcesis Patriarchatus sedis Apostolicę, idemque pars diœcesis vniuersalis. quemadmodum Episcopi Lugdunensis specialis prouincia est prima Lugdunensis, eademque pars vniuersæ primatis eiusdem diœcesis. Et in exercitu, quod te Censura nostra monuit, si peculiarem cohortis cuiuspiam aut alæ præfecturam subeat Imperator, has speciales Imperatoris copias iure dixeris, etsi partem faciant exercitus vniuersi. Quare non pu-

P. 98.

gnāt hęc inter se, vt vides, sed necessariò cōnexa sunt: prorsusq; hallucinatus es, qui cohærere ista non posse iudicasti. Quæris deinde, quoniam suburbicarias Ecclesias apud Rufinum Occidentis Ecclesias interpretati sumus, an eodem modo, si Romanas Ecclesias dixisset, Occidentis Ecclesias interpretari licuerit. Quid ad hoc, inquis, respondebit? quid reponet? Arduum scilicet, implicatumque negotium, & ex quo nulla Sirmondus expedire se arte possit. Quid enim respondebit? Audire vis? Ineptos esse qui hoc quærant, qui ambigant, qui Romanæ sedis Ecclesias omnes Romanas dici aut censerī nolint. Nam cūm Romanæ *Paparias* nomine totum orbem Romanum comprehendi videas ab Athanasio in Epistola ad solita-

rios, & Romanum orbem, Romanasque vrbes, gentes, regiones dici, quæ Romanorum Principum imperio regebantur: cur Romanas dici totius orbis Christiani Ecclesiæ non placeat, quas omnes vrbis Romæ Episcopo subditas esse constat: in quo vno, vt cum Auito Viennensi loquar, generalis Ecclesiæ residet principatus? Sed Romanam rectè dici Ecclesiam vniuersam soli negant qui in Ecclesia non sunt. Quòd si ex communi hoc capite Romanæ appellari Ecclesiæ omnes possunt, quid vetat quo minus Romanæ peculiariùs nuncupentur, quæ peculiari iure in Episcopi Urbis sunt potestate; atque hoc nomine à ceteris, quæ eodem iure non sunt, distinguantur? Itaque quod de suburbicariis antè dictum est, hoc de Romanis

Ecclesiis statuendum. Vt Romanæ interdum Ecclesiæ dicuntur, quæ in Vrbe sola, Urbisq; sunt Episcopatu; quo sensu Tiburtinæ, Tusculanæ, Albanæ Ecclesiæ Romanæ non sunt: interdum etiam Romanæ intelliguntur, quæ Prouinciæ Romanæ finibus continentur; quo modo à Romanis Episcopis & Ecclesiis, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, & reliquarum prouinciarum Episcopos & Ecclesias distingui iam audisti: sic Romanas à Rufino dici meritò potuisse omnes Occidentis Ecclesias, quæ in speciali Patriarchiæ Romanæ diœcesi positæ sunt. atque hoc argumentò solas Orientales, quæ in hac diœcesi non censebantur, Romanas aut vrbicarias non fuisse. Noli ergo te vexare, vt aliam fuisse Romanam Ecclesiam doceas, aliam Gallicanam,

aliam Africanam. Diuerſas locis, prouinciis, regionibus fuiſſe liquet: omnes tamen in Patriarchatu Romano erant, omnes hoc nomine Romanæ. quemadmodum in Patriarchatu Alexandrino (nam tibi, vt video, carmen idem ſæpius occinédum eſt) alia fuit Ægypti prouincia, alia Libyæ, alia Pentapolis: omnes tamen in Ægyptiaca erant diœceſi, omnes Ægyptiacæ vocabantur.

Quid habes præterea, quo Patriarchâ Occidentis eſſe Romanû Pontificem nõ ſatis probatum à nobis in Cenfura crimineris? Quia Græ-^{“P. 81.} culis, inquis, teſtibus uſi ſumus. O[“] religioſæ mentis homines, atque incorruptæ! quibus cùm aduerſus Eccleſiam Romanam teſtimonia proferuntur, nullus eſt tam proſtigatæ fidei Phryx, aut Myſus, qui

non omni Aristide ac Socrate sanctior videatur: at pro Ecclesia Romana si quid dicant, quamvis letissimi, atque omni exceptione maiores sint, Græculi sunt omnes. Quid ergo? Græculum vocas Leonem sapientem Imperatorem, cuius tum verbis ostendi Patriarchæ Romani diœcesim ad ultimos Europæ fines olim pertinuisse? aut Græculum nûc dices Iustinianum, quo auctore Patriarcham Romanum toto Occidente vnicum esse didicisti? Sed Zonaram & Balsamonem produxi, homines schismaticos. Magnum certè crimen. Nempe schismatici non erant Nilus & Barlaamus, quos tu longè deterioris atque obscurioris notæ testes laudasti. Verùm hoc etiam interest, quòd huiusmodi homines, cùm aduersus sedem Apostoli-

cam blaterant, audiendi non sunt, quia schismatici: cùm pro illa consentiunt, repudiari veritas non debet, quæ ab aduersariis etiam ipsis expressa atque extorta dominetur. Ac pudere te profectò, tuique similes par erat: cùm Occidentem vniuersum Patriarchæ Romani diœcesim fuisse schismatici quoque ipsi adstipulentur; tam peruersi animi ac iudicij vos esse, vt specialem hanc diœcesim ceteris ab Vrbe lapidem non excessisse contendatis. At Græci, ais, Occi- Pag. 36.
 dentem Papæ ita concedunt, vt in
 Oriente nullam illi potestatem esse
 velint. Quinam Græci? Schi-
 matici. Quid ad nos ergo in schi-
 mate suo quid sentiant, cùm aliter
 ante schisma sensisse Græcos ex-
 ploratum habeamus? An iuris in
 Oriente nihil esse Pontifici sentie-

bat Theodorus Studita, cùm Paſchalis Papæ opem depoſceret his verbis : Βοηθήσον ἡμῖν ὁ ἄνω τῆς γῆος τεταγμένε εις τὸ π. ὀρεξὸν χεῖρα καὶ ἡ ὄσον οἷς τε ἔστιν. ἔχεις δὲ ἰσχύειν ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐν τῷ πρῶτῳ ἀποστείλει, ἐν τῷ καὶ ἐπέμπε. *Adiuna nos, qui has à Deo partes suscepisti. manum præbe, quoad fieri potest. Ex eo enim apud Deum habes potestatem, quia vniuersis præsides, & ad hoc es constitutus. An illum toti Ecclesiæ præesse negabat Maximus confessor, cùm ad Petrum illustrem scriberet: Sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ beatissimum Papam, id est Apostolicam sedem, ab ipso incarnato Dei Verbo, sed & ab omnibus sanctis Synodis secundum sacros Canones, vniuersarum quæ in toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus & per omniâ percepisse & habere imperium? An Occidentis Ecclesiis Episcopi Ro-*

mani potestatem definiebat Patarensis ille Antistes, qui pro Silu-rio Papa exule apud Iustinianum, vt Liberatus Breuiarij cap. 22. nar-rat, intercessit, *multos esse dicens in hoc mundo reges, & non esse vnum, sicut ille Papa est, super Ecclesiam mundi to-tius, à sua sede expulsus?* Quòd si ad Pontifices Romanos nihil sua per-tinere olim credebant Orientales, cur toties à Synodorum suarum sententiis ad sedem Apostolicam appellarunt? Cur Alexandrini, An-tiocheni, Constantinopolitani, cùm res postulabat, quod sæpissi-mè accidit, coërceri à Pontifice Romano, excommunicari, abdicari Patriarchas suos flagitarunt? Cur decretis Pontificum, iudicatisque sine controuersia paruerunt? Nisi fortè adeo tua sponte factus es im-memor omnium, vt de innumera-

bilibus exemplis non aliqua saltem recorderis; nec recurrant animo vel Anthimus Constantinopolitana sede, quam temerè inuaserat, ab Agapeto Papa deiectus; vel ab vno Felice Romano tres Orientis Patriarchæ, Petrus Alexandriæ, Acacius Constantinopoli, Petrus alter Antiochiæ sacra communione pulsi, atque ab Ecclesiasticis diptychis erasi? vel Flavianus ab Ephesina, Chrysostomus à Constantinopolitana Synodo, hic ad Innocentium, ille ad Leonem, Petrique cathedram prouocantes. Quid enim tibi Eustathium Sebastenum in Armenia Episcopum commemorem, quem Basilius Magnus epistola LXXIV. docet, Episcopali honore in Synodo Melitensi spoliatum, cum à Liberio Papa redintegrationis literas impetrasset, easque

casque literas Synodo Tyanensi exhibuisset, à Synodo receptum mox fuisse, ac pristinae dignitati restitutum? Quid Athanasium, cuius causa quo minus à Iulio Papa iterum retractaretur, ne ipsi quidem, qui illum in Synodo Antiochena damnarant, repugnare ausi sunt: neque vllis vnquam artibus efficere potuerunt, quin à Iulio, eiusque successoribus absolutus, iure optimo absolutus ab Ordodoxis omnibus censeretur? Hæc igitur & sexcenta id genus exempla, hæc nos veterum Orientalium præiudicia & sententias, tibi & consuetaneis tuis opponemus. Ab his enim te, de Romani Pótificis in Ecclesiam vniuersam potestate quis rectè iudicantium sensus olim fuerit, discere oportebat, ab his te doceri, hos sequi, non Græculos

H


114 DE ECCLES. SVBVRB.
schismaticos. Quorum fanè vo-
ces, cùm de Papæ auctoritate agi-
tur, non minùs contemnendæ
sunt, quàm in cæteris Ecclesiæ
controuersis sperni ac reijci so-
lent obstrepentium ineptiæ & de-
liramenta hæreticorum.

FINIS.

CENSURA
VINDICIARVM
Coniecturæ Anonymi
Scriptoris.

*De suburbicariis regionibus
et Ecclesiis.*

Auctore **IACOBO SIRMONDO**
Societ. **IESV** Presbytero.





ANONYMO
 CONIECTURAE VIN-
 DICIAEVMQVE AVCTORI.

DIFFICILE est, Conie-
 ctor, omnium iudicio
 satisfacere. Tu enim,
 qui te serò in Cōiectura
 tua confutatú questus es, expostu-
 labis nūc etiam, opinor, Vindiciis
 tuis non statim occursum esse. A-
 liis contra mirum videbitur, cū
 in his noui nihil adferas, sed *αὐτὰ δὲ*
αὐτῶν rursus occentes, adduci po-
 tuisse me, vt quicquam omnino
 responderem. Téperanda itaque
 consilij mei ratio fuit. vt nec silen-
 do prorsus, expectationem tuam
 frustrarer: & pauca de multis refel-

lendo, tuum simul aliorúmque fastidium vitarem. Erunt hæc pauca satis superque, tum vt te in iis etiã, in quibus mirificè tibi places, imbecillitatis tuæ admoneant : tum vt totius Coniecturæ tuæ, Vindictiarumque vanitatem iterum ostendant. Docebunt enim, & circa prouinciarum Metropoles, epochámque Synodi Arelatensis, errasse te vbi alios redarguendos putasti ; & tuæ istius Vrbicariæ intra Centesimum diœcesis, cùm nulla sit, nec postulari, nec dari à quoquam vindicias posse. Quæ cùm oculos tuos ferient, percellentque, si dissimulare tamen perges, & videre te negabis : tũ ego laruæ huius, sub qua lates, vim nouam mirabor, quòd aliis quæ præstare solet vt non videantur, tibi hoc etiam præstet, vt quæ vides non videas.

PERIOCHE SINGVLO-
rum capitum huius Censura.

CAPVT I.

Coniectoris in Vindiciis suis tergiuersatio. In Mæcenatis suasoria apud Dionem iterum allucinatur. Secundæ appellationes in Prouinciis ab earum Consulibus ad Augustum fiebant, non ad Præfectum Vrbi.

CAP. II.

Diceceses à spectabilibus tantum viris administratæ. proinde non à Præfectis prætorio, neque à Præfecto Vrbi, qui erant illustres. Coniectoris fallacia in voce Dicecesis. quid propriè significet. Dignitatum tres gradus. triplicis quoque generis administratio, seu dicecesis.

CAP. III.

Metropoles ex legum subscriptionibus certò cognosci non possunt. Vana in eam rem hyemis vel æstatis obseruatio. Coniector indicio suo captus.

CAP. IV.

Suburbicariæ Cêtesimo non circum-

H iij

scriptæ. Picenum extra Centesimũ, Vmbriæ pars plurima intra Cētesimum. Vmbriæ prouincia semper à Piceno diuersa. Spoletium Vmbriæ oppidum, non Piceni.

CAP. V.

Epocha primi Concilij Arelatensis. Constantinus Magnus huic Concilio non interfuit. Cæciliani & Donatistarum controuersia. Constantini rescriptum ad Synodum Arelatensem. Consules Catholicorum Cōciliis adscribi soliti. Iudicium Constantini vltimum pro Cæciliano.



CENSURA

VINDICIARVM

Coniecturæ Anonymi

Scriptoris.

*De suburbicariis regionibus
et Ecclesiis.*

C A P. I.

*Coniectoris in Vindiciis suis tergiuersatio.
In Macenatis apud Dionem suasoria iterum
allucinatur. Secunda appellationes in Pro-
uinciis ab earum Consularibus ad Augustum
fiebant, non ad Prefectum Vrbi.*

SEPIAS, vbi sensere se ap-
prehendi, effuso atramento
abcondi ferunt. Hoc tu ingenio

in Vindiciis tuis vti, Coniector, videris: cui vnus hic perpetuò est scopus, vt à te dicta, vel tibi obiecta dissimules, clara & perspicua infusces atque inuoluas, & tum maximè victoriam canas, cùm victus iaces. Quid hoc rei sit tute nosti. & si hoc quoque dissimulas, facere tamen non potes; quin ij etiam qui lyncei non sunt facile animaduertant. Prima inter nos controuersia fuit de Mæcenatis apud Dionem verbis libro LII. ecquid ille de causarum appellationibus suadeat Augusto. Tu quæstionem aliò vocas, & quæri vis, an quod suadebat Mæcenas, ab Augusto sancitum sit. Quid hoc ad nos? Non enim id agitur: sed vtrum tu Mæcenatis mentem sis assecutus, cùm ad Præfectum Vrbi ab iis de quibus egerat magistrati-

Vindic.
P. 1. 2. 3.

bus prouocationes concedendas censet. Tu de appellationibus, quæ à Prouinciarum magistratibus fiebant, intelligendas putasti. nos, quia de urbanis tantùm magistratibus egerat, nondum de prouincialibus, non prouinciales sed urbanas tantùm appellationes accipi posse docuimus. Habes tamen hîc etiam quod cauilleris. Quidnam? De prouinciarum quoque magistratibus actum antea fuisse à Mæcenate. Quo loco? Cùm de urbanis, “ inquis, differens suasit ne urbano “ officio gesto statim in prouincias “ cum armis mittatur. Tuam fidem, Coniector, si quam habes. Hocci-ne est ratiocinari, an potius otio tuo & charta, atque auribus & oculis nostris abuti? Ergo prouincias nominare est de prouinciarum magistratibus agere, & ad

quos ab illis appellare liceat decernere? Quid ergo sibi vult Mæcenas, cum de Prouinciarum postea iudiciis differens, in his appellationes à prætoriiis iudicibus, non ad Præfectum Vrbi, sed ad cuiusque prouinciæ Consularem referendas suadet? Idémne censes esse Cōsularem appellare, quod Præfectum? Non, inquis. sed quid vetat à prætoriiis primum in singulis prouinciis ad Consulares cuiusq; prouinciæ appellatum fuisse, & à Consularibus deinde ad Præfectum Vrbi? O acutum, gnauumque hominem, qui hîc etiam inuenit, quo puram & limpidam aquam turbaret! Sed tibi vni turbidam fecisti. Nam quis præter te non videt quid ibidem Augustum compellans concludat Mæcenas. Δίκαιε δὲ καὶ αὐτὸς ἰδίᾳ πάντε ἐφέσιμα, καὶ τὰ αἰατόμ-

πινε , ὅσα αὖ πάλαι τε μείζονων ἀρχόν-
 των, καὶ πάλαι τῷ πολίᾳρχου ἀφικνήται.
*Indica, inquit, ipse priuatim quæcum-
 que vel à maioribus Magistratibus, vel à
 Præfecto Vrbi appellationes proficiscen-
 tur. Quo loco μείζους ἀρχοντας, maio-
 res magistratus à Dione dici τοὺς
 ὑπατωκίτας, Consulares, quorum in
 prouinciis erant μείζους ἡγεμονίαι, ne
 tu quidem, si Mæcenatis oratio-
 nem perlegas, inficiari audebis. Et
 à Præfecto igitur, ad quem ab vr-
 banis, & à Consularibus, ad quos
 ab inferioribus prouinciarum iu-
 dicibus appellari mos erat, prouo-
 care iterum vt liceret suadebat Mæ-
 cenas; sed ab vtrisque ad Augu-
 stum. Quare fefellit te acumen
 tuum, cum à Consularibus ad Præ-
 fectum Vrbi appellari posse coniec-
 cisti. Atque hoc in peruersa erro-
 ris tui defensione consecutus es, vt*

qui vno in Dionis loco semel lapsus videbare, non vnus iam, sed multiplicis noxiæ multam debeas.

CAPVT II.

Diœceses à spectabilibus tantùm viris regebantur. Proinde non à Præfecto prætorio, neque à Præfecto Vrbi, qui erant illustres. Coniectoris fallacia in voce Diœcesis. quid propriè significet. Dignitatum tres gradus. triplicis quoque generis administratio, seu diœcesis.

DIOECESSES plurium pro-
uinciarum, qualem tu Præ-
fecto Urbis adfingebas, à spectabi-
libus viris administrari solitas in
Censura significauimus. Sensisti
hoc telum quò tenderet. Nec enim
obscurum erat diœceses, quæ spe-
ctabilium tantùm essent, Præfecto
Urbis, qui inter illustres cèlebatur,

conuenire non posse. Itaque vt
ictum eludas, diœceses etiã à Præ-
fectis prætorio, quos illustres fuis-
se constat, administratas conten-
dis; vt à Præfecto præt. Galliarum
diœceses tres, Galliam, Hispaniam,
Britanniã. Quid hoc verò est aliud,
quàm sepiarum more aquam tur-
bare, & clarę atque apertę luci te-
nebras obducere? Sed ego te, nisi
valde proteruus es, è latebris eruã,
& quam refugis lucem vel inuitum
intueri compellam. Primùm enim,
vnde nunc didicisti, Diœceses à
Præfectis prætorio administratas,
qui nuper in Coniectura tua scri-
pseras, te Præfectos, qui diœceses
regerent, duos tantum nosse, Præ-
fectum Augustalem, & Præfectum
Urbi? An cùm inter magistratus,
qui diœcesibus præfuerunt, Præfe-
ctorum Vicarios recēseres, Præfe-

Et si ipsi latere, atque oculos tuos
 effugere potuerunt? Quis credat!
 Alia igitur consilij tui ratio in Cō-
 iectura fuit, alia in Vindiciis. Con-
 iecturam nempe cū scriberes,
 nondum animaduertes Recto-
 res diœcescōn spectabiles omnes
 fuisse, non illustres. Hoc te cū
 Censura nostra commonuisset,
 Præfecto Vrbi, cui diœcesim ad-
 struebas, ne inter spectabiles illu-
 stris solus esset, quærendos ex illu-
 strium ordine collegas censuisti.
 Itaque Præfectos Prætorio adieci-
 sti; hoc est errorem errore cumu-
 lasti. Nam quī possunt Præfectis
 Prætorio diœceses, de quibus agi-
 mus, conuenire, si diœcesim tua
 ipsius confessione intelligimus
 iunctarum inter se plurium pro-
 uinciarum administrationē? Quia
Præfectos Prætorio, inquis, plures re-
xisse

xisse diœceses compertum est. Quid tum verò? An non aliud est Diœcesim vnam plurium prouinciarum regere, quales sunt de quibus differimus, & qualem tu Præfecto Vrbi frustra moliris, aliud diœcesibus multis præesse, quarum singulas aliæ potestates regant? Quæso te, cum alij sint singularum prouinciarum Iudices, vt Consulares, Præsides, Correctores, alij Diœceseôn Moderatores, vt Vicarij, Comes Orientis, Præfectus Augustalis; an ferendum putes, si quis Vicarios, aliósiue diœceseôn Rectores, prouinciarum Rectoribus ideo adnumerandos dicat, quia diœceses singulæ multas prouincias amplectuntur? Rideres profectò, & meritò rideres. Hunc igitur qui fucum in prouinciarum nomine facere velit, exhibendum

censeas; te, qui pari fraude in dice-
cesibus cauillaris, ferri aut latere
posse confidis? Verum quo consi-
lio Præfectos prætorio in confor-
tium adsciueris iam ostendi. Spe-
rasti, si ab his qui illustres erant ad-
ministratas diœceses constaret,
fore vt à Præfecto etiam Vrbi ad-
ministrari potuisse obtineres. Nec
absurdum hoc quidem ex capite
videbatur. At diœceses illustrium
vnquam virorum fuisse, quo au-
ctore confirmabis? An Zenonis
Augusti L. vnica Cod. *Vt omnes iu-
dices*, aut L. vnica Cod. *De ratioci-
niis operum publicorum*, in qua vtra-
que qui diœceses administrât spe-
ctabiles Iudices præcipuo & pro-
prio titulo nuncupantur? An Ho-
norij lege alia, quæ numero est
LXI. Cod. Theod. *De appellationi-
bus*, in qua Vicarius Urbis nomina-

tim vir spectabilis appellatur? An ex vtriusque imperij Notitia, quæ vnius cuiusque diœcesis Vicario eundem spectabilitatis titulũ semper adscribit? Denique cùm publicarum administrationum tres præcipuos fuisse gradus non ignores, ac tres itidem dignitatum gradus Iudicum, qui eas sustinebant; cùm alij, inquam, clarissimi fuerint, qui singulas prouincias regerant, alij spectabiles, qui diœceses; alij illustres, qui amplissimam per diuersarum diœcesion tractus potestatem exercebāt: quamcumque in partem te conuertas, facilius sit vt diœcesis nomen, quod secundi generis proprium esse inter nos cõuenit, ad reliquos etiam gradus transferri videas, vt cùm pro vnica prouincia sumitur, L. xxxiv. Cod. Theod. *De nauicula-*

riis, aut cùm totam Præfecti prætorio administrationem significat, vt L. 111. Cod. Theod. *De prætoribus & questoribus*: quàm vt diœcesim propriè dictam Præfectis prætorio, vel illustri cuiquam Iudici conuenire, aut ab aliis quam à spectabilibus viris administratam vnquam fuisse comperias. Quare certum est & falli te, qui diœceses illustribus tribuas; & immeritò nos reprehendi, quòd diœcesen Rectors spectabiles fuisse diximus, non illustres.

CAP. III.

Metropoles ex legum scriptionibus certo cognosci non possunt. Vana in ea rem hyemis vel aestatis observatio. Coniector indicio suo captus.

IAM vides, opinor, quàm lenem me facilèmq̃ habeas aduersarium, qui cùm Vindicias tuas omni ex parte oppugnare ac refellere possim, de paucis earum capitibus litem moueam. Sed hoc nunc loco non reprehensionem abs te, sed collati beneficij gratiam expectari ac repeti sentio. quam quidem, ne ingratus in te videar, pro eo referam ac mereris. Scripseras in Coniectura tua, vrbes, in quibus acceptæ vel allegatæ leges in Codice significantur, Prouinciarum,

Coniect.
P. 19. 27. 29

I iij.

ad quarum Rectores missæ leges
essent, Metropoles fuisse: atq; hoc
argumento Florentiam Tusciæ,
Fanum Piceni, Spoletium prouin-
ciæ suæ caput esse concluderas. Nos
contrà leuem aut potiùs nullam
esse huiusmodi coniecturam ostē-
dimus. Solitas enim prouincias
suas obire Iudices, & quacumque
in vrbe res tulerat, ibi acceptam
vel allegatam legem adnotare. Ne-
que aliud nos in ea re mysterium
nosse professi sumus. Tu verò sa-
crorum antistes & mystagogus,
arcana mysteria ἐξορχούμενος, id
quod hætenus scilicet ignoraba-
mus nos doces, æstate prouincias
suas obire solitos magistratus; re-
liquo anni spatio in metropolibus
consistere. Proinde cum in Codi-
ce Theod. lex v. *De pactis* ad Con-
sularem Piceni, & lex v 111. *De ac-*

Cens. Pag.
19. 20.

Vindic. P.
12. 13.

cusationibus ad Correctorem Tusciae, hæc accepta Florentiæ, illa Flauia Fanestri allegata eo tempore dicantur, quo Iudices à primariis urbibus non excedebant, consequens esse, vt Florentia & Fanum suarum prouinciarum metropoles videantur. Et pro hac, vt loqueris, indicina atque in posterum cautione, *μηνυγος* parari iubes. Quis recuset? Cùm præsertim alia nos disciplinæ tuæ commoda sperare iubeas, si ingrati non fuerimus. Gratiam ergo, vt dixi, referre paratus sum quam debeo. Sed quotandem nomine vis deberi? An quia ex Strabone & M. Tullio prouinciarum Præsides æstaté in itineribus ponere solitos docuisti? At qui hoc ipsū Philippus Berterius in Diatribis suis prior animaduertit. Cur alienæ operæ, obseruationis-

que mercedem flagitas? aut cur in illum ingratus es adeo, vt dissimules? An quia, quod Berterio in mentem non venerat, de tuo adiecisti, vt quacumque in vrbe consedisse per hyemem Præsides, aut legem aliquam à Principe accepisse constaret, eam totius prouinciæ metropolim affirmares? At quî potest ex Strabonis verbis hoc elici, qui Præsidem Hispaniæ scribit in oris maritimis, hoc est nunc vna, nunc alia in vrbe, sed Carthagine potissimum, & Tarracone hyemare consuesse? Quî potest cum Theodosij lege v I. *De officio Rectoris prouinciæ* id consentire, qua præcipit, vt in illis *quinque vrbibus, quæ potiores esse ceteris asseruntur, vicissim hyemandum sibi Iudices recognoscant?* Vides ergo, cum diuersis in locis hyemes transegerint, quod de metropoli

coniiciebas, friuolum atque incertū esse. Verū indulgebo hīc etiā tibi, & quod iure inficiari liceret, vltro concedam. Dabo enim dubium non esse, quin vbi accepta hibernis mensibus lex legatur, ea metropolis sit prouinciæ. Dabo etiam, quod Italis ægrè persuaderes, in hibernis mensibus censi Aprilē posse, quo exeunte Flauia Fanestri allegata dicitur lex v. *De pactis*: atque hiberno etiam aliquo mense acceptam Florentiæ alteram *De accusationibus* legem fuisse; tametsi quo mense accepta sit, nullum in ea sit vestigium. Dabo denique vtriusque legis indicio Florentiam Tusciæ caput iam tum fuisse, ac Fanum Piceni metropolim, non Auximum, vt Procopius docet Belli Gothici libro 11. De Spoletio, quod eodem argumento

suæ quoq; prouinciæ metropolim
 adserebas , in hoc loco cur files?
 Etenim Cōiecturæ tuæ cap. v. Dis-
 sertationis i. verba sunt: *Spoletium*
metropolim fuisse ostendit subscriptio le-
gis v. Cod. Theod. De medicis & pro-
fefforibus , hæc videlicet , ACCEPTA
 SPOLETIO. Quo die accepta?
 quo mense? cur hoc astutè præter-
 mittis? Sic enim habet: ACCEPTA
 IV. KALENDAS AVGVSTAS
 SPOLETIO. Dic , sodes , Iulius
 mensis apud vos hibernus est men-
 sis , an æstius? Profectò si metro-
 poles ex hiberni temporis nota dis-
 cernuntur , quo Iudices in illis
 commorari solebant ; ex ea lege,
 quam summa æstate acceptam li-
 queat , quo tempore prouincias
 obire & concurrere mos erat , me-
 tropolim Spoletium fuisse argu-
 mentari non licet. I nunc ergo , &

indicinæ tuæ mercedem exposce.
 Nam indicio tuo, mi Coniector,
 tanquam forex periisti.

CAP. IV.

Suburbicaria Centesimo non circumscripta. Picenum extra Centesimum erat, Umbria pars plurima intra Centesimum. Umbria prouincia semper à Piceno diuersa. Spoletium Umbria, non Piceni.

QUID à me nunc expectas? An ut ea quæ deinceps de Suburbicariarû regionum situ & numero disputas, iterum, excutiam? Quid opus est iam prostrata & euerfa nouis machinis oppugnare? Suburbicarias vis omnes esse, quæ centesimo ab vrbe lapide continentur, extra hos fines ac terminos nullas esse. Hoc ergo in Censura pridem falsum esse docui, & pro-

Vindic.
 Pag. 14.

ximè in Aduentoria, aduersus illum, qui te frustra nuper aduētitiis copiis iuuare conatus est, liquidò confutauī. Picenum enim, quod suburbicarium fuisse inficiari non potes, extra Centesimum esse ostendi: Umbriam contrà, quam suburbicariam fuisse negas, Centesimo comprehendi. Quid habes quo arietis huius vim atque impetum subterfugias? Enimuero etiam qui Italiam non viderunt, facilè tamen in antiquis Itinerariis animaduertunt, cùm iter olim ab vrbe Roma in Picenum duplex fuerit, vnũ Anconam versus per Umbros, alterum Hadriam vsque per Sabinos; ex vtriusque itineris rationibus constare, Piceni fines vltra Centesimum positos fuisse. Hadriam enim per Sabinos, vt Æthicus describit, iter hoc erat.

AB VRBE HADRIAM VSQVE
M. P. CLXVI. sic

<i>Eretum</i>	M.P.	XVIII.
<i>Vicum novum</i>	M.P.	XIV.
<i>Reate</i>	M.P.	XVI.
<i>Cusilias</i>	M.P.	XVIII.
<i>Interocrium</i>	M.P.	VI.
<i>Falacrinum</i>	M.P.	XVI.
<i>Vicum Vatie</i>	M.P.	IX.
AD CENTESIMVM	M.P.	X.
<i>Asculum</i>	M.P.	XII.
<i>Castrum Truētinum</i>	M.P.	XX.
<i>Castrum novum</i>	M.P.	XII.
<i>Hadriam</i>	M.P.	XV.

Horum quæ hîc vides ante Asculum, Piceni nobilissimam coloniam, oppidum nullum est in Piceno : quæ Asculum præcedunt, Sabinorum sunt omnia. Cùm igitur ante Asculum, hoc est ante Piceni exordium, centesimû ab Vrbe

lapidem notatum videas, quid exploratius, quàm Piceni regionem ab hac quidem parte, totam extra Centesimum sitam esse. Quid verò ab altera parte, qua Anconā per Umbros iter est via Flaminia, propiusne abesse Picenum Roma censet? Interualla metire, & ad calculos reuoca.

AB VRBE ANCONAM.

<i>Ocricolos</i>	M. P. XLVII.
<i>Narniam</i>	M. P. XII.
<i>Ad Martis</i>	M. P. XVIII.
<i>Meuaniam</i>	M. P. XVI.
<i>Nuceriam</i>	M. P. XVIII.
<i>Dubios</i>	M. P. VIII.
<i>Prolaqueum</i>	M. P. VIII.
<i>Septempedam</i>	M. P. XV.
<i>Trea</i>	M. P. IX.
<i>Auximum</i>	M. P. XVIII.
<i>Anconam</i>	M. P. XII.

Si rectè summam subduxeris,

ab vrbe Roma Nuceriam vsque millia passuum colliges CXI. Nucерinos autem cognomine Fauonienses, eorúmque urbem Nuceriam coloniam in Umbriæ urbibus numerari nemo nescit. Quòd si ultra Centesimú ab vrbe lapidem Umbria porrigitur, quis erit adeò vecors, vt Piceni regionem, quæ post Nuceriam Apennino monte ab Umbria diuiditur, intra Centesimi fines positam dici posse arbitretur? Et Picenum igitur totum quantum est extra Centesimum est situm, & Umbria ab Oricolis Nuceriam vsque intra Centesimum. Quo constituto, quis non intelligat, tuam istá Præfecti Urbis dicecesim, quam Centesimi spatii ita definiebas, vt omnes eius partes occuparet, cum ab illa Umbriam excludas, & Picenum in ea com-

prehendas, commentitiam totam
& figmenti similem videri? Sed
inueneras tamen, cuius auctoritate
fabulam fulcires, agrimensorem
Balbum, qui tibi Spoletium, quod
in media est Umbria, Piceni urbem
esse affirmaret. Vnde Picenum,
quod suburbicarium appellatur,
in Umbria ipsa, atque intra Cente-
simum collocabas. Quod nos cum
futile ac ridiculum esse in Césura
docuerimus, audes nunc tamen
Balbum tuum vindicare: nec dubi-
tas, quin Spoletium Piceno, quo-
niam Balbus ita sensit, adscriben-
dum videatur. Itane verò! quia Bal-
bus sensit, ideo verum iudicas? Quid
ergo vetat, quin pari ratione His-
paniam quoque non regionem, sed
urbem vnicam cum Ephoro apud
Iosephum dicas fuisse; aut Rhoda-
rium fluium cum Eridano con-
fundas

fundas, quoniam hos Apollonij Argonauticōn Scholiaſtes non diſtinxit? Nimiū certè religioſus es non bonorum auctorum conſe-
 ctator. Quanquam niſi me animus fallit, non tam ſpectaſti, vt cum Balbo ſentires, quā vt illum tecum ſenſiſſe perſuaderes. Poteras exemplo noſtro Balbum ab erroris ſuſpicionē liberare. Sed maluiſti quem illi errorem aſſinxeras, quoniam ita res tua poſtulabat, mor-
 dicus tenere. Italiae, inquis, prouin- cc Vindic.
P. 25.
 cia non ad vnius tēporis rationem cc
 æſtimandæ. Sæpius enim in plures cc
 diuiſæ ſunt: sæpius earum termini, cc
 finesque confuſi. Quid tum verò? cc
 An vlla vnquam ætas fuit, qua Pi-
 cenum in Vmbriam tranſcenſo
 Apennino demigrarit, vt Spole-
 tium, quod Vmbriae ſemper fuerat,
 in Piceno eſſe dici poſſet? Quis vn-

quam auctor Picenum ab Umbria non discreuit? An Polybius, apud quem Hannibal libro iii. post pugnam Trasymenicam, *Ἐξήνους πῶ τῆς Ἰσθμοῦ καλουμένῳ ἄρῳ, καὶ πῶ τῆς Πικεντῶν*, per Umbriam & Picenum Hadriam versus iter instituit? An Strabo, cui *Καμέρτη τῆς Ομβρικής πόλις ἔστιν ἐν αὐτοῖς τῆς οὐρεῖσι πῶ Πικεντίνῳ ὄρεσιν*, Camerinum Umbriæ est oppidum in ipsis montibus qui Picenum ab Umbria determinant? An Ptolemæus, qui post Umbrorum *Ουιλόμβρωι* oppida, & in his Spoletium, mox deinde *τῆς Πικηνῶν* Picentum vrbes enumerat? An Codices legum, aut Imperij Notitia, aut Inscriptiones antiquæ, in quibus innumera sunt exempla, quæ hoc inter cetera vtriusque prouinciæ discrimen docent, quod Umbria cum Tuscia per Cor-

rectorem, Picenum per Consulari-
 rem regebatur? Quæ cum ita sint,
 cum ætatum omnium consensu
 aliud sit Umbria, & aliud Picenum,
 Spoletiumque Umbriæ omnes as-
 ferant, non Piceno, cuiquàmne
 hominum Balbi vnus tam incerto
 testimonio, Piceni, Umbriæque
 confusas regiones, & Spoletium
 in Picenum ex Umbria translatum
 persuaderi posse arbitraris? At ego
 ne tibi quidem, si me ingenij tui
 coniectura non decipit, hoc satis
 persuasum puto. Sed indulgendum
 videlicet causæ fuit: tanti erat diœ-
 cesim Præfectianam intra hos fi-
 nes effingere. aliter illa redigi ad
 Centesimum non poterat. Quid
 verò tandem es assecutus? Consi-
 lium tuum vt cordati mirètur om-
 nes, laudet nemo: quòd nouæ at-
 que inauditæ fabulæ tam absurdis

reprehensionem nostram, vt quæ in illum iam dicta sunt, in te quoque omnia conueniant. Vnum est præcipuè tuum, quod nefas sit præterire. Cur enim de Synodi primæ Arelatensis epocha te docentem non audiam, qui audire me velle antea professus sum, & nunc vt discam purgatis auribus adesse iubes? Scire auebam autem, quid causæ esset, quamobrem tu Synodum illam non anno Christi cccxv. vt Volusiani & Anniani Consu-
latus indicabat; sed biennio post anno cccxvi. habitam contendas. Rem tam multis & tam certis argumentis comprobasti, vt ambigi non liceat; tam asseueranter, vt ex tripode loqui videare. Denique Synodum hanc in annum cccxvi. necessariò conferendam putas. Quid ita? quia Constantinum, in-

„ quis, ex Codicis Theodosiani sub-
 „ scriptionibus liquet anno CCCXIV.
 „ Treuiris Augusto mense, hoc est
 „ indicti Concilij tempore fuisse, an-
 „ no CCCXVI. Arelate. Quid tum in-
 „ de? An quia Imperator Arelate
 „ illo anno fuit, propterea Conci-
 „ lium illo anno celebrari oportuit?
 „ aut quia idem anno CCCXIV. apud
 „ Treuiros erat, idcirco Arelate Cõ-
 „ cilium illo absente cogi non po-
 „ tuit? Non potuit, inquis. quia *Con-*
 „ *cilio Arelatensi Constantinum magnum*
 „ *interfuisse certum est.* Quo teste id
 „ probas? Eusebio in vita Constanti-
 „ ni lib. I. cap. 37. & 38. Tuam iterum
 „ hoc loco fidem, Coniecto. Ul-
 „ lúmne in his locis verbú est, quod
 „ Constantinum in Concilio Arela-
 „ tensi interfuisse significet? Si sciés
 „ nō fallis, redi in memoriam. Prio-
 „ re loco Constantinum in Synodo

Nicæna inter Episcopos confedis-
 se narrat. de illa enim agi obscu-
 rum non est: quot enim aliæ Sy-
 nodi fuerunt, quibus non inter-
 fuit? Posteriore in componendis
 Africæ diffidiis laborasse testatur:
 sed Synodum in ea renullam com-
 memorat. Cur Eusebio affingis,
 quæ ab Eusebio scripta non sunt?
 Poteras sanè alios testes laudare,
 qui id ipsum, quod Eusebio tri-
 buis, ætate nostra scripserunt. Sed
 pudebat nimirum, si per illos pro-
 fecisse videreris. Ceterum quod tu
 cum illis certum putas, in Synodo
 Arelatensi Constantinum inter-
 fuisse; ego contrà certissimum du-
 co non interfuisse. Et quoniam
 quæ pro tua sententia facere iudi-
 cabas exposuisti; nunc æquum est,
 vt pro nostra nos loquētes audias.
 Tuæ postea erit industriæ, videre

an nostra nos coniectura fallat, an te tua. Quibusnam ergo me rationibus ductum censes, vt Constantinum à Synodo Arelatensi abfuisse dicam? Quia ex Synodo illa ad Cōstantinum appellatum est; quia Episcopi Synodo peracta de Synodi euentu ad Constantinum rerulerunt; quia Constantini extat rescriptum ad Episcopos, quo illorum relationi responderet. Cū in iudicio appellari nisi ad absentes non soleat, nec referri nisi ad absentes, nec rescribi; si de his tribus constabit, quid amplius desiderabis, vt absentem fuisse Constantinum intelligas? Reuoca igitur animum ad Cæciliani Episcopi, & partis aduersæ causam, quæ tum agebatur. Hanc triplici iudicio examinatam decisamque comperies. Primū Romæ ab Episcopis Gal-

liæ & Italiæ coram Melchiade: deinde ab Episcopis iterum Arelate; postremo ab Imperatore ipso Mediolani. Auctor & testis est multis in locis S. Augustinus, tum maximè in Epistola LXVIII. quæ clerici Hipponensis nomine scripta est ad Ianuarium Episcopum. *Iussit, inquit, Imperator venire partes ad Episcopale iudicium in vrbe Roma faciendum, vbi quemadmodum causa dicta atque finita sit, indicant gesta Ecclesiastica. Iam vtrique post pacificum moderamen Episcopalis iudicij, omnis contentio- nis & animositatis pertinacia debebat extingui. Sed rursus maiores vestri ad Imperatorem redierunt, & non recte iudicatum, neque omnem causam audita esse conquesti sunt. Vnde ille alterum Episcopale iudicium dedit habendum in Arelatensi Gallia ciuitate. Vbi multi vestri vana & diabolica dissensione*

damnata cum Caciliano in concordiam redierunt. Alij verò pertinacissimi & litigiosissimi ad eundem Imperatorem appellauerunt. Postea & ipse coactus Episcopalem causam inter partes cognitam terminauit, & primus contra vestram partem legem constituit, ut loca congregationum vestrarum fisco vendicarentur. Audis de Romano iudicio conquestos esse Donatistas, ab Arelatensi autem ad Constantinum appellasse? Idem iterum Augustinus, sed paucis, libro 11. contra literas Petiliani cap. xcii. *Petētibus*, inquit, *maioribus vestris Episcopale iudiciū dederat Constantinus & apud Romā, & apud Arelatum. quorū primum apud eū accusastis, ab altero ad eum appellastis.* Eadem rursus in aliis epistolis repetit, CLXII. CLXV. CLXVI. CLXVII. CLXXI. eadem in aliis libris. Sed quid opus est ad eam rem Augusti-

ni testimonia congerere, cum extet, vt dixi, Constantini ipsius ad Episcopos Concilij Arelatensis Epistola, in qua de iis qui in concordiam cum Cæciliano redierant gratulatus, reliquos qui appellarent notissimis illis verbis detestatur, *O rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt?* Agnoscis enim, ni fallor, decantatam à multis, & ab Optato historiæ suæ inditam exclamationem. Quam quidem qui ad Synodum Romanam Melchias referendam censuerunt, non animaduenterant scilicet, nullos in Synodo illa aduersarios pacatos, nullos ad Imperatorem prouocasse perhiberi. Tu verò, qua es ingenij perspicacitate ac solertia, nisi quid *δουλόει προδοσει* dissimulas, minimè in posterum dubitabis,

quin hoc vno huius Epistolæ ar-
 gumento Constantinum in Syno-
 do Arelatensi, vnde ad ipsum ap-
 pellatum sit, non interfuisse con-
 stet: frustra que te in relegendis per
 singulas legum subscriptiones re-
 giorum itinerum vestigiis desu-
 dasse, vt Constantinum Arelate an-
 no CCC XIV. non fuisse conclude-
 res, & Concilium illo anno coa-
 ctum, aduersum certissimam adfi-
 xi Consulatus notam pernegares.
 Quid enim est, quod de Consuli-
 bus adscriptis tenebras offundere
 „ & obscurare conaris? Neque mo-
 „ ror, inquis, Arelatensi Concilio
 „ subscriptos vulgo Consules. No-
 „ rum est characterismos tempo-
 „ rum in Conciliis sæpe corruptos,
 „ dum eos imperiti supplere volue-
 „ runt. Quænam hîc tua est mens?
 „ Negas Consules antiquis Conci-

liis apponi solitos? Conuincet Augustinus, qui in Breuiculo Collationis, Catholicorum Concilia Consules & dies semper habuisse testatur. An Volusianum & Anianum, qui anni cccxv. Consules fuerunt, Concilio Arelatensi perperam suppositos caufaris? Reclamant vetustissima, aut omnium potius ætatum exemplaria, quæ hos Consules constantissimè repræsentant. Memorantur, inquis, ab Augustino, in libro contra Donatistas post Collationé, cap. xxiii. literæ Constantini ad Eumelium Vicarium Africæ, Sabino & Rufino Cõsulibus, id est anno cccxvi. data de purgatione Cæciliani in Concilio Arelatensi. At ego non solùm memorari ab Augustino lib. 111. contra Cresconium cap. lxxi. easdem Constantini literas

memini; sed aliquot etiam illarum verba recitari: in quibus se non in Concilio Arelatensi, vt tibi visum est, sed post Episcopalia iudicia, id est post Synodos duas, Romanam & Arelatensem, inter partes vltimo iudicio cognouisse, & innocentem Cæcilianum cōperisse significat. Quod in Breuiculo etiam Collationis apud eundem Augustinum aliquanto apertius expressum est: *Et recitatum est, inquit, iudicium Constantini, quemadmodum se inter partes causam Cæciliani cognouisse, & ad Eumelium Vicarium Africa scripsisse, quòd remotis omnibus arbitris Cæcilianum innocentem, illos calumniosissimos cognouisset, testatus est. commemorans etiam in Arelatensi oppido pro Cæciliano Episcopale iudicium: cui iudicio iam plurimi ex dissensione consenserant, reliquis adhuc resistentibus & dis-*

cordantibus. Quocirca præcessit omnino Synodus arelatensis iudicium Cōstantini : illa Volufiano & Anniano Coss. hoc biennio pōst Sabino & Rufino Coss. Longum enim tempus intercessisse, dum conuocantur ex Africa partes, & Romam primū, deinde Mediolanum, vbi peracta res est, conuenire iubentur, declarat in primis Epistola CLXII. Augustini. Præfuisse autem iudicio suo Constantinum vt dubitat nemo : ita Synodo non interfuisse, quantumuis repugnes, luce clariū ostendunt quæ dixi. neque tu hanc lucem poteris, totam effundas sepiam licet, vllō dissimulationum tuarum atramento infuscare.

FINIS.

ANT 1316949

Errata.

Pag. 15. Namneticæ. 34. emphyteuticariis.
50. litteris eius causæ. 64. lis fuerit. 85. pro-
priè & κατ' ἐξοχήν dicta fuisse. 134. ἐξοπλοῦσθαι.
139. iterum excutiam.